JURIUM HUNGARIÆ
IN
RUSSIAM MINOREM
ET
PODOLIAM
BOHEMIÆQUE
IN
OSWICENSEM ET ZATORIENSEM
DUCATUS

PRÆVIA EXPLICATIO.

VINDOBONÆ,
TYPIS JOANNIS THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,
SAC. CÆS. REG. AUL. TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXXII.

JURIUM HUNGARIÆ

IN

RUSSIAM MINOREM

ET

PODOLIAM

BOHEMIÆQUE

IN

OSWICENSEM ET ZATORIENSEM DUCATUS

PRÆVIA EXPLICATIO.

Non modo ex historia undecimi & duodecimi Sæculi, Scriptoribus tam Polonis, quam Hungaris testibus, quibus fides sine temeritate abrogari nequit, verum etiam ex aliis monumentis constat, Reges Hungariæ jam tum & superiore quoque ætate, Regnum Russiæ, aut latiore significatu, Mi-

norem, seu Rubram Russiam, cum Primislaviensi Territorio, aliisque eo pertinentibus non exiguis terræ portionibus, præcipue vero amplas duas Provincias Galiciam & Lodomeriam (quæ adhucdum Hungariæ Regum titulis insertæ sunt) legitime possedisse.

Alexander Guagninus in Chorographia Poloniæ Fol. 3. diserte ait: „ Halicia, seu Galicia, est pars Russiæ contigua „ Hungariæ & Transilvaniæ, qua in plures partes divisa, „ Hungaris duæ potissimum cesserunt, Haliciensis nimirum, „ & Vladomiriensis; utraque ab oppido nomen accepit. “

Consentit huic prorsus Michov. apud Pistorium, dum refert: „ Parebat Halicia, seu Galicia, Ducibus Russiæ, qui „ in partes plures divisi, alii Hungarorum, Polonorum alii „ auxilia sequebantur. “

Scriptor Annalium Hildesheimiensium ad Annum 1031. hæc habet: „ Heinricus (Hungaris Emericus) Stephani Re- „ gis Filius, Dux Ruizorum (Russorum) in Venatione ab „ apro discissus periit flebiliter mortuus. “

Nota est expeditio bellica, quam circa Annum 1084. S. Ladislaus suscepit, de qua sequentia narrat Thuroczius:

„ Post hæc Rex gloriosus invasit Russiam, eo quod „ Cunni per Consilium eorum Hungariam intraverant, cum- „ que vidissent se Rutheni male coarctari, rogaverunt Regis „ Clementiam, & promiserunt Regi fidelitatem in omnibus, „ quos Rex piissimus gratanter accepit. “

Eandem hanc tutelam Colomanus Ladislai Sancti Successor tuebatur, adhærens Swentipolko Duci adversus Davidem, quam ob causam filius ejus, Borisch nomine, ex altera con-

conjuge de adulterio suspecta natus Dux Haliciæ dictus fuit teste Michoviensi Lib. III. Cap. 15.

Antiquissima hæc Hungariæ Regum Jura plurimis locis confirmantur in Annalibus ab Academia Imperiali Petropolitana editis. Ad Annum 1209. hæc habent: „ Hoc eodem „ Anno Ungari ejecto ex Halicia Duce Vladimero Igorevi- „ cio, Romanum Igorevicium fratrem ejus Ducem consti- „ tuerunt. “

Ad Annum 1212: „ Halicienses Dominatione Ro- „ mani Igorevicii non contenti, informatis clam de Tyranni- „ de ejus Hungaris, & secum adductis, tam Ducem, quam „ fratres ejus una cum familia suspendio sustulerunt. “

Ad Annum 1213: „ Rex Hungariæ filium suum in „ Halicia Regem constituit. “

Ad Annum 1218: „ Eodem Anno Ungari ex Hali- „ cia ejiciunt Mstislaum Mstislavicium Nepotem Romani, & „ Filium Regis iterum constituunt. “

Ad Annum 1221. & 1228: „ Mstislaus Mstislavi- „ cius restitutus quidem fuit in provinciam, sed Regibus Hun- „ gariæ clientelari Jure obnoxius mansit. “ Id quod Coronatio Belæ IV. Hungariæ Regis abunde confirmat, „ In qua „ (ut scribit Keza) Dux Haliciæ vasallitio obsequio Equum „ Regium summa reverentia ducebat. “ Hanc ob subjectionem, teste Bonfinio „ Russi defunctos Reges Hungariæ rasa „ barba lugebant. “

Non parum roboris argumentis ex Annalibus Russicis pro jure Hungariæ petitis accedit ex Epistola Regis Andreæ II. ad Innocentium III. (vide Num. I.) quæ in Annalibus Eccle-

clesiasticis Raynaldi adhuc conservatur ad Annum 1214. & inter alia, quæ subdimus, habet:

„ Noverit igitur Sanctitas Vestra, quod Haliciæ Principes & Populus *nostræ ditioni subjecti* humiliter a nobis
„ postularunt, ut filium nostrum Colomanum ipsis in Regem
„ præficeremus, in unitate & obedientia sacrosanctæ Romanæ
„ Ecclesiæ perseveraturis in posterum, salvo tamen eo, quod
„ fas illis sit, alias a ritu proprio non recedere. "

Reapse dein Colomanus ab Archiepiscopo Strigoniensi Rex Galiciæ unctus, coronatusque est, ut in responso ab Honorio III. ad Andream Regem dato explicatius legere est, quod ex laudatis Annalibus Raynaldi ad Annum 1222. isthic (Num. II.) subjicimus.

Ad ulteriorem jurium confirmationem, quibus Hungaria gaudet, faciunt variæ Epistolæ autographæ Regum antiquiorum, atque Sigilla & insignia, in quibus perpetuo sibi Galiciam, seu Haliciam, Lodomeriamque asserunt. Præcipue autem id præstitere sequentes:

Bela III. Ann. 1190. apud Lucium de Regno Dalmatiæ Lib. 3. Cap. 12.

Andreas II. Annis 1211. 1221. 1222.

Bela IV. Ann. 1243. 1257. & 1269.

Ladislaus IV. Ann. 1272. 1277. & 1280.

Andreas III. Ann. 1297. & 1298.

Carolus Robertus Ann. 1304.

Ludovicus I. nondum Rex Poloniæ Ann. 1353.

De postremo, quem diximus, in Chronico Thuroczii Part. 3. Cap. 29. & 30. occurrunt duo memoratu dignissima loca,

loca, quæ ab ipso Regio Secretario, Notario & Capellano Archidiacono Kikulevienfi literis commendata sunt, atque ad verbum ita habent:

„ Cæterum contra Lituanos Christianis & maxime
„ *Regno suo Russiæ* insultantes, personaliter cum exercitu
„ copioso & militia sua propria, nec non aliis nationibus ad
„ eum confluentibus, proficiscens, terris ipsorum, seu Tenutis,
„ in magna parte devastatis, Duce eorum capto, sed in continenti sibi promissionem de fidelitate & obedientia faciente
„ liberato, feliciter ad Hungariam est reversus. "

„ Postea bina vice cum valida gente sua etiam extranea, ad *Regnum Russiæ Sacræ Coronæ Hungaricæ subjectum* pro defensione ejusdem Regni contra Lituanos est profectus, & fugatis hostibus, ac fretus victoria potentes Viros
„ Petrum Banum primo, nec non Venerabilem in Christo Patrem Dominum Emericum Episcopum Agriensem, ac Georgium Zudar, consequenter fratres ejus, & post hæc Emericum Bebeck, & post eum Joannem de Capol *ad regendum ipsum Regnum Vaivodas seu Capitaneos præfecit*, qui Regnum prædictum bene & laudabiliter defensantes *sub titulo Sacræ Coronæ & regimine ejusdem Domini Regis* conservaverunt. "

Postquam autem Regi Ludovico, utpote Casimiri III. Poloniæ Regis ex Sorore Nepoti, fides facta esset de Jure Successionis in Regnum Poloniæ, ex Conventione inter eundem Casimirum & Patrem Ludovici Carolum Robertum inita, siquidem Casimirus sine Liberis maribus decederet, vicissim Ludovicus, tanquam Hungariæ Rex, eidem Casimiro, datis in

in hanc rem peculiaribus cessionis Literis, Regnum Russiæ concessit, hac tamen lege, ut si Casimiro hæres masculus nasceretur, is acceptis centum millibus florenorum Hungaricorum Regno Russiæ iterum sese abdicaret: quod si vero Rex Casimirus diem obiret absque hærede masculo, Regnum quidem Poloniæ ex pacto cederet Ludovico; Russiæ autem Regnum rediret ad Regem Hungariæ, qui tum futurus erat.

Summa capita hujus Ludovici Epistolæ videre licet apud Sommersbergium Script. rerum Silef. Tom. 2. in Mantissa Diplomat. pag. 81. quæ is ex quodam Diplomatario Manuscripto Poloniæ collegit, & typis vulgavit, quemadmodum isthic sub (Num. III.) eadem transscripta exhibemus.

Hac eadem Ludovici Epistola adhuc Ann. 1673. in rem suam ipsa utebatur Polonia, ut suo loco inferius patebit.

Ex his a Ludovico constitutis sequitur, mortuo reapse Ann. 1370. Casimiro absque Regni hærede, Regnum Russiæ ex conditione cessioni adjecta Hungariæ tributum denuo, atque a Ludovico jam Poloniæ Coronam adepto redditum fuisse. Ut vero minor natu filia, quæ Vladislao Jagelloni nupta Ann. 1382. Ludovici in Polonia Thronum conscendit, a Patris morte turbis in Hungaria enatis in rem suam usa sit, ut tam Russiam quam Volhyniam armis ab Hungaria avulserit, vel fatentibus scriptoribus Polonis in publicum notum est. Verum quam contra fas omne hæc acta sint, ex manifestis Hungariæ Juribus, quæ modo attulimus, palam est, quibus e sequentibus major adhuc claritas & firmitas accrescet.

Equi-

Equidem erat Hedwigis non minus legitima hæres paterni Sceptri, ac Soror natu major Maria, quemadmodum id promissa universorum Procerum & Statuum testantur, cum Carolus I. ad Regnum evehebatur, quæ hisce verbis concepta erant:

„ Nos igitur ejusdem Regni bonum statum & commo-
„ dum ex animo intendentes, diligenti collatione præhabita
„ Dominum nostrum Karolum, ac *posteritatem* ejus, prout re-
„ galis successio exigit, in Regem Hungariæ, ac naturalem
„ Dominum perpetuum suscipimus. “

Quoniam itaque extra dubium est, ex antiquo more & legibus Hungariæ *Posteritatis* nomine intelligi utriusque Sexus Successores, ex hoc uno legitima causa petenda est, cur Maria natu maxima Parenti in Throno successerit, & simul cur post Ludovici obitum, ut ex documentis apud Lucium in Historia Dalmatica pag. 251. discimus, a Dalmatis & Jadrensibus non modo Elisabethæ relictæ Viduæ, sed etiam utrique Filiæ, Mariæ & Hedwigi, juramentum fidelitatis sit præstitum.

Hæc igitur successionis Lex Hedwigi Reginæ An. 1390. nihil juris tribuere poterat, quo Russiam minorem & Volhyniam Hungariæ eriperet, utpote vivente adhuc Sorore Maria natu majore, quæ non Patris tantummodo ex voluntate, sed jure etiam primogenitæ, quod apud Hungaros semper obtinuit, paternum Thronum & provinciarum regimen adierat.

Nec plus juris Hedwigi ex morte Reginæ Mariæ, quæ Anno 1392. consecuta est, accessit, quippe cum ea

(Ma-

(Maria nempe) a Ludovico velut Regni hæres nuptui tradita ſit Sigismundo, qui non tantum a Ludovico legitimus conjugis hæres conſtitutus, ſed etiam a Proceribus & Regni Statibus, quin ab ipſa quoque Hedwige agnitus eſt in Conventione Anno 1394. facta, in qua idem Sigismundus Rex jus ſuum ad Poloniæ ſceptrum Vladislao Jagelloni Hedwigis Marito ceſſit, utpote cum ipſa antehac conſenſu Soceri ſui, & Poloniæ Magnatum, Ludovici in eodem regno Succeſſor ſolemni ritu declaratus fuiſſet.

Porro illa, quæ diximus, & alia complura, quibus in jura aliena Hedwigis invaſerat, eo maxime agebantur obtentu, quod contra fas omne, quin contra pollicitationes a ſemet factas, unica hæres, cui paterna corona debita foret, haberi voluerit, uti ex homagio Vladi Palatini Beſſarabiæ, quod apud Dogiel. in Cod. Diplom. Polon. Tom. 1. Part. 2. pag. 623. extat, eruitur, ubi inter alia hæc leguntur:

„ Et quia pridem Regnum Hungariæ ad memoratam
„ Dominam Hedwigem Reginam Poloniæ & hæredem dicti
„ Regni Hungariæ unicam & ſuperſtitem, & conſequenter ad
„ præfatum Dominum Vladislaum Regem conthoralem ipſius,
„ jure hæreditario eſſe comperimus devolutum, prout hoc
„ ipſum in literis dicti Ludovici Regis, & regnicolarum Hun-
„ gariæ & Poloniæ regnorum prædictorum, ſuper eo confe-
„ ctis intelleximus fuiſſe & eſſe conditionatum, ſicque etiam
„ nos, & Dominia noſtra, dictis Dominis Vladislao Regi Po-
„ loniæ & Hedwigi Reginæ, & regnis eorum Poloniæ &
„ Hungariæ in ſubditos obligamus. “

At

At enim quam inanis & erronea hæc ſeſe ſubdendi cauſa fuerit, & quo commento bono illi Vaivodæ Beſſarabiæ Poloni fucum fecerint, ex allatis ſuperius clarum eſt.

Quin ex oppoſito conſtat exemplo memorabili, Mariam Reginam ſuprema in Ruſſiam poteſtate, quam jure Hungariæ coronæ obtinebat, adhuc Anno 1385. uſam fuiſſe, dum Joanni Pallugya, ejusque fratribus certa quædam bona in Primislavienſi Territorio, in *ſuo regno Ruſſiæ*, ut diſſerte nominat, donavit, quemadmodum e monumento (Num. IV.) adjecto intelligitur, dato eodem anno mandato ad *Capitaneum ſuum totius Regni Ruſſiæ Emericum Bebek*, vi cujus ſubjecta (Num. V.) Statutio, ut dicitur, ſive introductio donatariorum, eorumque hæredum in bonorum poſſeſſionem conſecuta eſt.

Mariam quoque, ut Hungariæ Reginam, titulis Haliciæ, & Vladomeriæ uſam fuiſſe, palam fit ex ejusdem Decreto in Diæta, ſive Regni conventu Anno 1384. facto, quod Corpori Juris Hungarici Tom. 1. pag. 171. quanquam non ſine mendis, inſertum eſt.

Tam antiquo ſcilicet Hungariæ jure nituntur, quæ a Sigismundo Rege inſtauratæ, nec deſertæ unquam fuerunt poſtulationes, quarum cauſa conventio (quæ Num. VI. exhibetur) inter eundem Hungariæ, & Vladislaum Jagellonem Reges Anno 1412. confecta eſt, quæ maxime Ruſſiam & Podoliam concernit. Et ſane operæ pretium fecerimus, ſi, quemadmodum hæc transacta ſint, accuratius edoceamus, tum ut eorum, quæ in hac conventione, aliisque paſſim literis occurrunt, cum præcedentibus nexus pervideatur clarius, cum etiam ut expe-

B 2 di-

ditior ſit refutatio eorum, quæ a Polonis in oppoſitum afferri poſſunt.

Extat in hujate Tabulario (ut Num. VII. videre eſt) ipſum Autographum literarum Regis Vladislai, quibus plenam facit poteſtatem duodecim illis Prælatis Polonicis, atque Dominis, ſeu Officialibus Regni, quorum nomina expreſſa ſunt, ut inde a die Dominico, quo eæ literæ datæ leguntur, ante Divi Martini feſtum Anni 1411. usque ad ipſum id feſtum, locis conſtitutis cum Hungaris in eundem finem delegatis de omnibus controverſiis inter utrumque Regem & Regnum motis tranſigerent, quemadmodum jam inter priores illos, qui ex utraque litigantium parte, Polonis puta, & Hungaris, delecti fuerant, ad diem Martis, qui Dominicam Palmarum proxime elapſi anni præceſſerat, conventum eſt Novæ Villæ. Porro loca deſignata ſunt Polonis quidem actoribus Schramoviczium, Hungaris vero Antiqua Villa.

Itaque in conventionem præviam a duodecim hiſce Poloniæ, totidemque Hungariæ deputatis parique poteſtate inſtructis, itum eſt ad diem feſtum S. Eliſabethæ *in Schramovicze*, (uti ſub Num. VIII. habetur) qua induciæ potiſſimum inter utrumque Regem, & Alexandrum Ducem Lithuaniæ a præſente die usque ad feſtum B. Virginis in Cœlum Aſſumptæ prorogantur. Dein vero ulterius decretum, ut interea temporis ad ſtabilem pacem conficiendam Rex uterque, alter quidem Lubloviam; alter vero Sandecum ſeſe conferrent ad diem ſequentem Dominicam Quinquageſimæ, aut ſi qua alia videretur opportunior, & de congreſſu inter ſeſe habendo agerent. Quod ſi vero eo Congreſſu ad unionem duraturam perveniri haud poſſet,

ſet, ut ad feſtum divorum Philippi & Jacobi denuo delegati Hungari Antiquæ Villæ, Poloni vero Schramoviczii convenirent, atque juxta pacta Novæ Villæ inita omnes diſcordiæ cauſas ſeu ex amica conventione, ſeu ex legibus tollerent.

Quamvis autem præviæ hujus conventionis, de qua non modo in allatis paulo ante binis epiſtolis, ſed etiam in ipſo Tractatu die 15. Martii ſignato ſermo eſt, nullum monumentum in hujate Tabulario reperiatur, literæ tamen, quas ſua ex parte Hungari dederant (ſunt eæ in præſens in Polonorum manibus, & a Dogiel. Cod. Diplom. Polon. Tom. I. P. I. tit. Hungaria pag. 42. vulgatæ) de eadem nos plene inſtruunt. Datæ vero ſunt *in Iglavia, alio nomine, in Nova Villa feria tertia ante Dominicam Palmarum Anni 1411.* uti dicitur in Literis Regiis Polonicis, quibus delegatis plena agendi, decernendique ſit poteſtas.

Primo autem ejus congreſſus colloquio agebatur ſolum de modo, qui in futuris conventibus teneretur; ut ſcilicet duodeni utrinque plena poteſtate inſtructi Commiſſarii, Hungari Antiquæ Villæ, Schramoviczii Poloni, proximo D. Martini feſto convenirent, & dato jurejurando ex formula in epiſtola præſcripta controverſias ſeu amice, ſeu ſecundum jura componerent; rebus autem in dubiis ſententia arbitri, utriusque partis compromiſſo delecti ſtarent: tum vero quod viginti quatuor hi legitima poteſtate præditi decreviſſent, ratum eſſet, atque etiam confirmaretur.

Nomina porro eorum, qui e Polonis congreſſui aderant, Regiis Literis inſerta ſunt; qui vero ex Hungaris convenerant, in citata apud Dogiel. epiſtola exprimuntur; & tum

tum ex hac, cum e diffusiore illa, quam superius exhibuimus, conventione intelligitur, in neutro istorum congressuum, qui prævie habiti sunt, quicquam, quod ad rei summam faciat, confectum fuisse.

Hæc secutus est tandem celebris ille inter Hungariæ Regem Sigismundum, & Regem Poloniæ Vladislaum, nec non Magnum Lithuaniæ Ducem Witoldum seu Alexandrum, Tractatus, in *Lyblio* 15. die Martii an. 1412. signatus, cujus summa eo fere redit, ut quod ad controversias de *Russia*, *Podolia*, & *Moldavia* motas pertineret, induciæ ad dies vitæ utriusque Regis agerentur, quæ alterutro, superstite altero, vita decedente, adhuc in quinquennium prorogatæ sancte servarentur, Rege interim Poloniæ Russiam, & Podoliam quiete possidente: attamen ut per quinquennium illud, quod ab alterutrius fato laberetur, secundum pacta, in quæ prioribus colloquiis conventum est, de utriusque partis juribus decideretur, uti hæc omnia in ipso Autographo, quemadmodum sequitur, expressa habentur:

„ Verum quia super terris Russye, Podolye, Moldavie inter ipsum dominum Sigismundum &c. & nos & occasione earundem inter cetera dissensionis materia vertebatur, in facto itaque terre Russye inter præfatum Dominum Sigismundum &c. & nos concordatum extitit hoc modo, ut vita sibi insimul & nobis comite usque ad diem obitus unius ex nobis, quem prius nutu divino exemi contingat ab humanis, inter ipsum Dominum Sigismundum Regem &c. nos, & Dominum Alexandrum prædictum pacis & Treugarum federa habeantur & inconcusse observentur modo infrascripto, quibus Treugis durantibus terram Russye prout tenemus pacifice tenebimus sine impedimento prædicti Domini Sigismundi Regis &c. & regnorum ac subditorum ipsius aliquali, in terra vero Podolye idem Dominus Sigismundus Rex &c. tam per se, quam per suos subditos promisit nos non impedire, neque alicui ad illam impediendam consilium, favorem, vel auxilium præstare Treugis durantibus infrascriptis. Item in casu quo nos eundem Regem Wladislaum &c. memorato Domino Sigismundo Rege &c. fratre nostro voccacione divina premori contingat, extunc post obitum nostrum predicte Treuge infra quinque annos immediate sequentes debent perdurare, & e converso si pretactum Dominum Sigismundum Regem &c. prius nobis decedere acciderit, federa hujusmodi Treugarum similiter infra quinquennium inter Hungarie & Polonie regna post ejus decessum debent firmiter observari, & infra prædictos quinque annos Treugarum videatur de justitia & jure partium secundum seriem & continentias literarum alias per Prelatos & Barones utriusque regni Hungarie videlicet & Polonie primum in Iglavia alio nomine Novavilla, & altera vice in Antiqua Villa confectarum, quarum contenta habentes hic pro sufficienter insertis quoad hoc in suo robore volumus permanere. “

Quæ tum de Moldavia constituta sunt, ad rem præsentem directe haud faciunt, nec aliud quid observatu dignum occurrit, nisi Magnum Lithuaniæ Ducem Witoldum Tractatui præsentem non adfuisse quidem, attamen septimanis aliquot post eundem confirmasse Anno 1412., ut testatur Apogra-

graphum literarum factum Anno 1454. cum nota feriæ sextæ post conductum Paschæ, sive diei 22. Aprilis, quod in tabulario hujate servatur.

Tota hæc tractatio tum in sese spectata, tum etiam si prævios binos congressus attendamus, agebatur per primos Ecclesiasticos & Seculares Magnates, & regni Administros Poloniæ, & quinquaginta eorum Anno 1412. statutis nomina sua, velut præsentes, subscripserunt, adjectis etiam præter Regium Sigillis propriis. Quare tanta omnia solemnitate & maturo peracta sunt consilio, ut incredibilis pene videri debeat non nullorum Polonorum scriptorum impudentia, qui Regis sui ignorationi & errori tribuunt, quod postulationem Hungariæ Regis Sigismundi, & titulos, quibus Russiam & Podoliam sibi vendicare nitebatur, legitimos agnoverit. Minime vero concipi potest, qui, de quo toties mentio recurrit, ausus sit P. Dogiel. cui verus rerum status ex monumentis ipsis notus esse debuit, in quadam annotatione ad Tractatum A. 1412. Regem Vladislaum tanquam hominem simplicem, credulum, & jurium sui Regni penitus inscium depingere, qui se se induci passus sit a Rege Sigismundo homine astuto & vafri ingenii, ut eidem contra æquum & fas quidpiam juris in prædictas provincias concederet. Quin ut veri forte speciem iis conciliaret, quæ de Vladislai imperitia dixerat, eo prolapsus est Dogiel. ut eundem tanquam Regem novitium, & velut recens ad thronum evectum haberi velit (*non ita pridem electus*) cum tamen jam Anno 1386. Regno admotus fuerit, adeoque cum finis Tractatui illi imponebatur, 26. annis Sceptrum gesserit. Neque ad animum revocavit Dogiel. iis, quæ non sine contumelia adversus Regem diceret, honorem quoque tot Magnatum, qui in conventu præsentes aderant, peti; cum inde confici necesse foret, eadem omnes illos quinquaginta Proceres simplicitate, credendi facilitate, atque imperitia, ac Regem laborasse, qui sibi fucum in tanti momenti negotio fieri tam turpiter passi sint.

Verum sunt alia argumenta, quæ ostendunt, Polonos de Tractatu illo tanta cum deliberatione facto tum quidem longe aliter sensisse, atque non modo pro Hungaris æquum, sed etiam sibi proficuum judicasse. Hinc nempe tribus post annis postulabant a Rege Sigismundo, ut jusjurandum, quod ex Conventis in literis Lublii 16. Maji A. 1412. datis jam præstiterat, novis ad id *Constantiæ* 20. Aprilis A. 1415. expeditis, atque Regio Sigillo (quod interea temporis elaborabatur) appenso renovaret, uti id se facturum in prioribus literis promiserat. Utrumque hoc monumentum apud Dogielium ipsum loco citato pag. 49. & seqq. reperire est.

Præterea idem Tractatus Anni 1412. post undecim annos ad *Kezmark* feria tertia post Dominicam Palmarum A. 1423. denuo cum omni solenni ceremonia confirmatus est, magno numero Poloniæ Magnatibus præsentibus, cui rei occasionem aliæ forte exortæ lites, & turbarum quidpiam dederunt, ne quid per eas adversus ipsum pacis fœdus eveniret. Legere hæc pluribus licet in literis Regis Vladislai Poloniæ, & Alexandri Magni Ducis Lithuaniæ, quas ex autographo desumptas subjicimus sub (Num. IX.) Qua in re id adhuc observatu dignum, in ternis literis a Rege Sigismundo Annis 1412. & 1415. redditis, eundem Galiciæ & Lodomeriæ titulis usum fuisse.

In

In Tractatu Anni 1412. præfixus induciis alterutrius Regis obitus dies, Anno 1434. advenit, cum Vladislaus Jagello Polonus vita & Regno discessit, perdurante proinde adhuc in quinquennium subsequens, sive usque ad An. 1439. armorum cessatione. Interea Sigismundus Imperator, & Hungariæ ac Bohemiæ Rex Annum 1437. supremum habuit. Albertus quoque Rex, ejusdem Successor & Gener non ultra dictum induciarum terminum, seu An. 1439. vitam protraxit, ut adeo tam brevi temporis intervallo, quo præterea cum Vladislao III. Poloniæ Rege defuncti Jagellonis filio, de successione in Bohemiæ Regnum armis decertandum erat, ut vix tandem pax conciliata fuerit, ut, inquam, tam brevi tempore nihil de iis cum Polonis, quæ Hungariæ jura concernebant, agere, multo minus transfigere potuerit.

At vero cum sequente Anno 1440. a quibusdam infensis Elisabethæ viduæ Proceribus, ne quidem expectata prolis posthumæ nativitate, eidem Reginæ Vladislaus III. Poloniæ Rex opponeretur, is delegatis ad se Hungaris, qui electionem nunciarent, literas in *Civitate Cracoviensi* 8. Martii eodem Anno 1440. signatas tradidit (uti Num. X. transcriptæ habentur) quibus Hungariæ Status in fidem receptos securos esse jubet, atque iisdem inter alia promissa, quæ etiam gratuitam Comitatus Cepusiensis hypothecæ nomine adhuc possessi restitutionem concernebant, declarat præcipue, sese daturum operam, ut quidquid Hungarici esset juris, & a quocunque illi Regno ereptum, denuo redderetur, illo signanter addito, provincias Russiæ & Podoliæ quidem, ut hactenus in Polonorum perstituras potestate, quin tamen id Hungariæ fraudi esset, donec indicto, cum Regi opportunum fuerit, inter Status utriusque Regni conventu, definiretur, utra ex parte jus in illas Provincias staret. Quo in negotio cum disertis verbis Vladislaus superiores tractatus & literas respexerit, eorum legitimum valorem etiam, ut Poloniæ Rex agnovit, instauravit, confirmavitque.

Porro literarum harum Autographum eam ob causam nunquam in Hungarorum manus pervenit, quod Elisabetha Regina, quæ interea 22. Februarii An. 1440. Ladislaum Posthumum in lucem edidit, e Polonia reversos Legatos Hungaros in via intercipi, iisdemque, quidquid literarum attulissent, eripi jusserit, ut adeo eæ literæ post Reginæ mortem Anno 1443. consecutam a Friderico Imperatore, ac Ladislai Regis tutore asservatæ fuerint.

Cum tandem Ladislaus hic An. 1453. regnum adiisset, videtur quidem, actum fuisse ab Hungaris, ut antiquæ eorum postulationes effectum sortirentur, quippe cum non pauca documenta sub Annum 1454. transcripta in hujate Tabulario reperiantur, in quibus variæ huc pertinentes epistolæ inde a Regis Sigismundi ætate occurrunt. At omnia incassum cecidisse, inde conficitur, quod sub Mathia Corvino Hungariæ Rege lis de Russia, Podolia, & Moldavia resuscitata fuerit, ut Polonicus Scriptor Dlugossus Hist. Pol. Lib. 13. ipse testatur, dum narrat, a Casimiro IV. tum regnum obtinente constitutum fuisse congressum locis alias designatis, pro Polonis, Schramoviczii, Novæ Villæ pro Hungaris ad festum Natæ B. Virginis, ut tandem controversiæ, quæ cum Hungaris intercederent, dirimerentur. Et a Casimiro quidem reapse

 Con-

Consiliarios (quorum novem tum Ecclesiasticorum, tum Secularium nomina recenset Dlugossus) missos fuisse, qui Neosandeci Hungarorum adventum opperiebantur; at Mathiam Regem, quod ad eum diem bello Turcico impediretur, non modo Casimiro, sed delegatis etiam significasse literis, atque aliud Congressui tempus ad festum D. Martini proposuisse, quod tamen a Casimiro acceptatum non est. Mirum vero id haud fuit, quando non erat, quod per eam moram perderent Poloni; quia potius tranquillam sibi controversarum Provinciarum possessionem prorogabant.

In nova pacificatione inter Mathiam Hungariæ & Casimirum Poloniæ Reges An. 1479. quæ in Codic. Diplom. Pol. pag. 77. impressa habetur, conclusum est, ut delecti utrinque Prælati & Proceres rerum gerendarum, & juris gnari, adhibitis etiam doctis viris, circa imminens D. Martini festum consuetis locis denuo convenirent, atque caussas, quæ inter utrumque Regem, Regnumque agitarentur, discuterent, ut iis compositis pax firma consisteret, neque esset, quod sine decisione, & in medio relictum deinceps, serius aut citius, disceptationis, ac dissensionis materiam præberet. At num hæc executioni data, multo minus, an de quopiam transactum sit, haud constat.

Argumentum præcipuum, quo Poloni indubitatis Hungariæ Juribus robur omne adimi, existimant, procul dubio e nota illa *Pacificatione Bithomiensi & Bendzinensi* Anni 1589. petitur, cujus capita, quæ ad rei summam pertinent, isthic sub (Num. XI.) adjicimus. Vi hujus transactionis jam prius hypothecarium jus in tredecim illas Cepusii civitates Poloni

loni in plenum dominium, & jus perenale convertere conati sunt; nunc ex eadem etiam renunciationem omnium jurium in Russiam &c. quæ ab Hungariæ Regno facta fuerit, extendere volunt. En locum illum ad verbum, qui renunciationem, quam ajunt, exhibeat:

„ Quibus quidem rebus cum pristina amicitia, atque
„ benevolentia integre conciliata, restituta ac redintegrata
„ utrinque esse debeat, promittimus . . . . spondemusque:
„ Nos quidem suprascripti Cæsareæ Majestatis, & universæ
„ Serenissimæ Domus Austriacæ Commissarii, cum commemoratæ Cæsareæ Majestatis, ceterorumque Serenissimorum Austriacorum Principum omnium, tum maxime Serenissimi Maximiliani Archiducis nomine, nullam Superiorum dissensionum offensionem Majestatem, Serenitatesque Suas retenturas, eandem nullo unquam tempore renovaturas, constantem autem posthac, & sinceram cum Regia Majestate Poloniæ, ordinibusque amicitiam, & benevolentiam conservaturas, *neque vi aut armis, vel per se vel per submissas personas quocunque tempore, vel quacunque ex causa, colore seu praetextu Regnum Poloniae, Magnum Ducatum Lituaniae, Russiam, Prussiam, Masoviam, Samogitiam, Livoniam, ceterasque Ditiones vel arces, oppida, villas, hominesve Serenissimi Poloniae Regis . . . . infestaturas, vim aut injuriam ullam illaturas.* “

At si ad genuinas verum sensum explicandi regulas tum locus iste, tum tota ea tractatio expendatur, ad evidentiam usque patebit, nunquam in animo fuisse Augustæ Domui, Suo & præcipue Hungaricæ Coronæ tam antiquo in Russiam &

Podoliam juri renunciare, neque etiam id tum Aulæ Polonicæ, ut peteret, in mentem venisse. Quod quidem dictum sequentes animadversiones, & consideratio, quæ tum fuerint rerum conditiones, extra omne dubium collocabunt.

Post mortem Regis Stephani Bathorii discordibus ac in duas factiones scissis suffragiis duplex designabatur Rex, & nona quidem Augusti ab altera eligentium parte Sueciæ Princeps Sigismundus nominabatur, triduo vero post Archidux Maximilianus ab altera. Uterque Coronæ æmulus jus suum armis tuebatur. Verum sequente anno inimica fortuna usus Maximilianus ad Picinam in Silesia a Duce adversæ partis & Poloniæ Cancellario Zamoisio cæsus, captusque est. Quare eo res suas videbat devolutas, ut recuperandæ libertatis causa in Pacificatione, Apostolicæ Sedis interventu, ejusdemque Nuncii Cardinalis Aldobrandini, se inter, Augustamque Domum, atque Victorem Sigismundum Poloniæ Regem die 19. Martii An. 1589. inita, jus omne ad Poloniæ sceptrum a sese abdicare cogeretur.

Dederat itaque Tractatui huic occasionem duorum Regum electio, & subsecuta sinistro belli casu Maximiliani captivitas, scopus vero, ad quem collimabant omnia, erat juris in Poloniæ coronam renunciatio, quemadmodum id diserte declarant ipsa Pacificationis verba:

„ Cum autem omnis hæc superioris temporis dissensio „ ex nominatione, juribus & institutis Regni Poloniæ minus „ consentanea Serenissimi Principis & Domini Domini Maximiliani Dei gratia Archiducis Austriæ Ducis Burgundiæ &c. „ in primis comitiis electionis Varsaviæ habitis a quibusdam „ pro-

„ proposita emanarit, cum iis, quæ supra commemoratæ „ sunt, tum aliis causis ad Reipublicæ Christianæ universæ „ salutem, & tranquillitatem pertinentibus, convenit, conclusumque inter nos est, ut quo & præterita dissensio, & „ futuræ causa, materiaque omnis tollatur, commemorato „ titulo & jure, quod quocunque modo pervenisse ad se inde „ arbitratus fuit, idem Serenissimus Archidux Maximilianus „ cum alias memoratas ob causas, tum ob communis Reipublicæ Christianæ, ut ostensum est, quietem & incolumitatem abstineat, & nunquam imposterum utatur. Præter „ eum vero Cæsarea Majestas etiam, cæterique Serenissimi „ Archiduces nullam unquam controversiam vel hac, vel alia „ quacunque causa, colore, seu prætextu vel Serenissimo „ Principi ac Domino Domino Sigismundo III. præsenti Regi „ Poloniæ, vel etiam, si, quod Deus avertat, morte ejus Regnum vacare contingeret, eidem Regno eundem Serenissimum Maximilianum, vel quemcunque alium, quocunque „ tempore, per se, vel per alios relaturum, aut suscitaturum, „ neque id facienti consilium, auxilium, transitum, seu favorem „ quemcunque in eam rem se præbituros præstituros que spondeant, ac promittant. “

Summam rei, & caput totius tractatus in una ea renunciatione Coronæ Polonicæ esse, ulterius conficitur ex ejusdem Synopsi, a Dumontio Corpori Diplomatico Tom. V. Part. I. pag. 458. inserta cum sequente animadversione: *Quoique ce ne soit &c.* „ Quamvis hæc non nisi Synopsis quædam sit, attamen eodem fere, quo Autographum, loco habenda est, utpote cum Auctor, ex quo in epitomen hæc collecta sunt, „ fue-

„ fuerit unus e Ministris, qui Imperatoris & Archiducis no-
„ mine transegerunt, & Tractatum signarunt. "

Idem prorsus elucet e verbis, quibus summa tractatus capita ipse Dogielius in Cod. suo Diplomat. indicat: „ Tractatus, inquit, pacis inter Rudolphum II. Imperatorem, „ Hungariæ Bohemiæque Regem, & Maximilianum Archiducem, universamque Domum Austriæ ab una, & Sigismundum III. Regem atque Ordines Regni Poloniæ & Magni „ Ducatus Lituaniæ parte ab altera per Commissarios utrinque cum plena potestate delegatos conclusus, *quo Maximilianus inani paucorum studio in Regem Poloniæ electus prætenso jure in hoc Regnum* cedit, ac titulo Regis Poloniæ se „ abdicat. "

Atque hinc est, quod generali stipulationi, quæ hisce verbis facta erat: *Se nullam unquam controversiam Sigismundo, vel etiam si morte ejus Regnum vacare contingeret, eidem Regno suscitaturos*, uberioris confirmationis, atque explicationis causa adjecta sint promissa: *Nullam superiorum dissensionum offensionem Majestatem, Serenitatesque Suas retenturas.* Atque inde etiam *ex capite harum superiorum dissensionum* neque vi aut armis Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Lituaniæ, Russiam, Prussiam, cæterasque ditiones Serenissimi Poloniæ Regis . . . infestaturas.

Ex quo sane evidens fit, in tractatu illo unice actum fuisse de *renunciatione illius Tituli & juris, quod quocunque modo pervenisse ad Se* INDE (ex ancipite nempe electione) *arbitratus fuit Maximilianus Archidux.* Et quoniam jus illud ad universum Poloniæ Regnum, Magnumque Lithuaniæ Ducatum porrigebatur, prorsus præsenti rerum conditioni congruebat Maximiliani, Augustæque Domus promissum, quo fidem dabant, quod Poloniam, Lituaniam, cæterasque provincias, quæ tum sub ditione Poloniæ erant, atque superius enumerabantur, vi & armis invadere nolint.

Quodsi Polonia contendisset obtinere abdicationem peculiarium jurium Coronæ Hungaricæ innexorum, omnino necessum fuisset, ut hanc ipsam renunciationem, & ea omnia nominatim exprimeret, quæ ea cessione petebantur. Et tum sane haud fuisset, cur Poloniæ, Prussiæ, Massoviæ, Samogitiæ, Livoniæ mentio fieret, addereturque: *Cæterisque ditionibus, vel arcibus, oppidis, villis, hominibusque Serenissimi Poloniæ Regis;* cum hæc fuerint ejusmodi, quæ Hungaria nunquam vel sibi deposcit, vel jure deposcere potuit.

Ad hæc contrahentium capita, si rem, ut est, spectemus, erant Maximilianus Archidux, & Rex Poloniæ Sigismundus. Rudolphus II. Imperator, ac reliqui Archiduces, verius nil nisi fidem præstabant, atque auctores erant. Qua igitur ratione Polonis in mentem venire poterat, ut a Maximiliano Archiduce, cum quo reapse contractum inierant, jura sibi, quæ Hungaris erant peculiaria, cedi poscerent, dum non Maximilianus, sed Rudolphus Hungarorum Rex erat, ad quos nihil seu de controversa illa electione, seu quæ inde consecuta sunt, pertinebat ullo modo, uti ex ipso Tractatu patet, in quo diserte dicitur: *Castrum Lubloviæ* INJUSSU CÆSAREÆ MAJESTATIS, AC PRÆTER VOLUNTATEM EJUS *fuisse occupatum.*

Neutram transigentium partem de abdicatione juris Hungariæ proprii cogitasse, & tantummodo renunciationem illius spectasse, quod ex dubia electione Maximilianus Archidux sibi vendicare potuisset, manifestissime elucet ex promissione, quam Sua ex parte Rex Sigismundus Imperatori, & toti Augustæ Domui vicissim fecit, quæ cum ea, quam Archidux Maximilianus Suo Suorumque nomine præstitit, & nos magnam partem retulimus, ad verbum pene, si pauca mutes, congruit, uti ex collatis inter sese binis locis isthic subjectis patet:

PROMISSIO DOMUS AUSTRIACÆ.

„ Promittimus, spondemusque Nos quidem suprascripti „ Cæsareæ Majestatis, & universæ Domus Austriacæ Com- „ missarii cum commemoratæ Cæsareæ Majestatis, cætero- „ rumque Serenissimorum Austriacorum Principum omnium, „ tum *maxime* Serenissimi Maximiliani Archiducis nomine, „ nullam superiorum dissensionum offensionem Majestatem, „ Serenitatesque Suas retenturas, eandem nullo unquam tem- „ pore renovaturas, constantem autem posthac & sinceram „ cum Regia Majestate Poloniæ, Ordinibusque amicitiam, & „ benevolentiam conservaturas, neque vi aut armis vel per „ Se, vel per submissas personas quocunque tempore, vel „ quacunque ex causa, colore, seu prætextu Regnum Polo- „ niæ, Magnum Ducatum Lituaniæ, Russiam, Prussiam, Ma- „ soviam, Samogitiam, Livoniam, cæterasque ditiones, vel „ arces, oppida, villas, hominesve Serenissimi Poloniæ Re-

„ gis,

„ gis, aut propinquorum Sociorum vel adhærentium ipsius „ infestaturas, factiones, aut partes ullas contra easdem fotu- „ ras alturasve, ab iisdem proscriptos aut exules recepturas „ habiturasve, neque aliis id facientibus ullum consilium, au- „ xilium, transitum, aut quemcunque denique favorem acco- „ modaturas. “

PROMISSIO POLONIÆ.

„ Similiter vero Nos Serenissimi Poloniæ Regis suprascripti „ Commissarii ejusdem Majestatis Suæ Ordinumque ejus nomi- „ ne vicissim recipimus, promittimus, spondemusque, nullo „ unquam tempore eorum, quæ ante quocunque modo inter- „ cesserunt, offensionem Serenissimum Poloniæ Regem, aut „ Ordines retenturos, eandem per quamcunque occasionem re- „ novaturos, sed constantem posthac & sinceram cum Cæsa- „ rea Majestate, universaque Serenissima Domo Austriaca, „ in eaque Serenissimo etiam Archiduce Maximiliano, regnis- „ que, ditionibus, & Ordinibus eorundem amicitiam & bene- „ volentiam conservaturos, neque ipsam Majestatem Suam „ Ordinesque, seu homines ejus quoscunque vi aut armis per „ se vel per submissas personas quocunque tempore, vel „ quacunque ex causa, colore, seu prætextu Regna Hunga- „ riæ vel Bohemiæ, Austriam, Moraviam, Silesiam, vel „ quæcunque alia commemoratorum Principum Dominia, „ ditiones, arces, oppida, villas, vel homines aut propin- „ quorum sociorum vel adhærentium ipsorum infestaturos, „ vim aut injuriam ullam iisdem allaturos, factiones, seu

 par-

„ partes ullas contra eosdem, & in iisdem foturos alturos-
„ ve, ab iisdem proſcriptos aut exules recepturos habituros-
„ ve, neque aliis id facientibus ullum conſilium, auxilium, tran-
„ ſitum, aut quemcunque denique favorem accomodaturos. "

Hæc inter ſeſe rite collata palam faciunt, in promiſſis ab Auſtriacis præſtitis ne quidem de renunciatione *juris alicujus particularis* cogitatum fuiſſe, utpote cum alias ſequeretur, ſponſione a Polonia viciſſim facta itidem debuiſſe decedi ab jure quopiam in terras Auſtriacas; quod quidem quam abſurdum ſit, nemo non videt, quando conſtat apud omnes, nullo nomine Regnum Poloniæ ſibi quicquam earum provinciarum arrogare potuiſſe.

Multo adhuc clarius intelligitur, verum hunc fuiſſe ſenſum, atque paciſcentium Scopum, & Polonos non minus quam Auſtriacos, ſpectaſſe tantummodo electionem illam litigioſam, totamque Conventionem potiſſimum ad Archiducem Maximilianum pertinuiſſe, multo inquam, hæc luculentius patebunt, ſi ad ea, quæ mox conſecuta ſunt, adhibeatur animus.

Pacificatione Bithomienſi & Bendzinenſi nona Martii An. 1589. confecta ac ſubſcripta, ſemeſtre tantummodo abiit temporis intervallum, cum 26. Maji a Rudolpho Cæſare & Sigiſmundo Rege alius initus eſt Tractatus, *quo*, ut eum recenſet Pater Dogiel. *priora pacta & fœdera inter Domum Auſtriæ ac Reges & Regnum Poloniæ inita renovantur, inſtaurantur, & confirmantur.*

Niſi igitur Pacificatio Bithomienſis particularem eum Scopum ſibi præfixiſſet, & ad Maximilianum Archiducem pertinuiſſet præcipue, ſane ſupervacaneum fuiſſet, ut duobus poſt men-

menſibus inſtauraretur primarius ille inter Rudolphum Imperatorem ac Sigiſmundum Regem Tractatus, ſubſecutis inde temporibus, toties Reges inter Hungariæ Poloniæque, & iisdem pene verbis repetitus.

Nullo itaque verbo in Tractatibus hisce mentio renunciationis alicujus fit, qua Hungaria a ſeſe juris quidpiam remitteret; verum in omnibus ſemper reſpicitur ad *Pactorum & fœderum literas, quæ inter noſtras Auſtriæ & Jagelloniam Domum, quæque inter utriusque Domus Regna, imperia, provincias & nationes interceſſerunt.* Cum igitur inter pacta ab Auſtriaca & Jagellonia Domo inita Tractatus Anni 1412. a Sigiſmundo Imperatore, & Rege Vladislao Fundatore Jagelloniæ domus, ſignatus & primus ſit, & momenti maximi; per ſeſe ſequitur, eundem in omnibus deinceps conventionibus, quæ *Pacta inter Auſtriæ & Domum Jagelloniam* reſpiciunt, ipſo facto legitimum fuiſſe agnitum, atque confirmatum.

At ſi demus etiam (quamvis oppoſitum liquido demonſtraverimus) Rudolphum Cæſarem in Pacificatione Anni 1589. de juribus coronæ Hungariæ in Ruſſiam & Podoliam reapſe deceſſiſſe, foret tamen hæc ceſſio ſecundum jura omnia ſine ullo effectu & fructu. Nam licet peculiaribus literis promiſerit: „ Se curaturum, ut Regni Hungariæ Ordinum
„ nomine deputati, & ſufficienti mandato in eam rem inſtructi
„ Proceres, in proximis illius Regni comitiis . . . Jura-
„ mentum juxta formulam in jam commemorata transactione
„ Ordinibus præſcriptam præſtent, utque juramenti literæ,
„ & inſtrumentum ſubſcriptum, ſigillisque Procerum muni-
„ tum dicto Poloniæ Regi mittatur . . . "

 Hæc

Hæc inquam, licet addixerit, haud tamen eidem licuit promiſſorum fidem exſolvere, cum Hungariæ Ordines eo nunquam permoveri potuerint; quemadmodum in ſubſecutis dein Comitiis Anno 1593. nec veſtigium reperire eſt, ex quo colligi poſſet, Hungaros ad jusjurandum illud præſtandum adductos fuiſſe. Quin potius Decretum 7. Anni 1596. Poſtulata Ordinum exhibet: „ Ut juxta *continentias publica-* „ *rum Conſtitutionum* differentiæ inter Hungariam & Polo- „ niam ac tredecim Oppida ratione metarum, violentiarum- „ que, & damnorum revideantur, & rectificentur: qua de „ re Sua Majeſtas dignetur Sereniſſimo Regi Poloniæ ſcribe- „ re, quia Poloni indies magis magisque inſoleſcunt. " Quæ Poſtulationes & querimoniæ in ſequentibus deinceps Comitiis ſæpe admodum iteratæ ſunt. Porro notum eſt, Regis ac Imperatoris Rudolphi tempore Hungariæ Regnum electionis jure uſum fuiſſe, ac propterea minime fas fuiſſe Regi, quin id ab Ordinibus ratum habeatur, tanti momenti jure in Ruſſiam Rubram & Podoliam coronam exuere, quando in formula, ex qua in Coronatione jusjurandum dicitur, diſerte notatur: *Ne quid a Regno abalienetur;* ut adeo Rudolphi, ſiquidem titulo illi renunciaſſet, quod tamen factum non eſt, non alia fuiſſet Conditio, quam de qua in Decretalibus Tit. de Jurejurando cap. 33. agitur, atque in hunc modum deciditur:

„ Si poſitus in dignitate alienat bona dignitatis, non va- „ let alienatio, & ipſe revocare debet, non obſtante juramen- „ to de non revocando; maxime, ſi prius jurat non alienare. „ Honorius III. Colloczenſi Archiepiſcopo, & ejus Suffraga- „ neis Anno 1220. Intellecto jam dudum, quod cariſſimus

in

„ in Chriſto Filius noſter Hungariæ Rex illuſtris alienationes „ quasdam fecerit in præjudicium regni ſui & contra regis „ honorem: nos eidem regi dirigimus ſcripta noſtra, ut alie- „ nationes prædictas, non obſtante juramento, ſi quod fecit, „ de non revocandis eisdem, ſtudeat revocare, quia cum te- „ neatur, & in ſua Coronatione juraverit, jura regni ſui, & „ honorem Coronæ illibata ſervare, illicitum profecto fuit, „ ſi præſtitit de non revocandis alienationibus hujusmodi ju- „ ramentum, & propterea penitus non ſervandum. "

Quam autem ne quidem conjecturæ locus ſit, quaſi Ordines Hungariæ in abdicationem juris, quod cum Coronæ emolumentis tam arcte connexum erat, conſenſerint, ex Hiſtoria Regni Hungariæ Vice Palatini Iſthuanfii elucet, qui ipſe inter delegatos memoratæ Pacificationi intererat, dum ad locum, in quo de reſtituenda Lublovia ſermo eſt, expreſſe addit: *Quod ne cui præjudicio Juribus regni Hungariæ foret, legati Hungari apud Collegas cautum eſſe voluerunt;* quanquam ea cautione opus haud fuerit, ut tantummodo majoris ſecuritatis cauſa adhibita videri poſſit, cum Tractatus ille Hungariæ juri proprietatis in tredecim Cepuſienſia oppida nulli fraudi eſſe potuerit, quemadmodum alias manifeſte oſtenſum eſt.

Quæ cum ita ſint, patet ſane, adeo nunquam de antiquiſſimis Hungariæ Poſtulationibus quicquam remiſſum eſſe, ut potius omni ſtudio illæſæ, ac integræ ſint ſemper conſervatæ. Et quamvis per internas partim turbas, partim per bella externa, aliaque obſtacula nunquam effectum ſortitæ ſint, nihilominus in omnibus Tractatibus inde a ſesquitertio Sæculo & quod excurrit, inter duo hæc Regna habitis cautum eſt,

ut

ut tum antiquæ illæ controversiæ, tum quæ recentius enatæ erant, eum in modum aliquando componerentur, in quem prioribus illis congressibus conventum fuerat; atque id verbis iisdem fere, consimilibusque conditionibus, quemadmodum commonstrant Transactiones sub Rege Ferdinando I. An. 1549, Rudolpho II. An. 1589, Mathia An. 1613, Ferdinando II. An. 1621. & 1633., Leopoldo An. 1677.

Non minore evidentia evincitur tum e copiosis Sigillis & Autographis, quæ in hujate Tabulario asservantur, tum etiam e Decretis Regum Hungariæ Corpori Juris Hungarici insertis, nominatim quidem Mathiæ Corvini ad An. 1464., & 1486., Vladislai II. ad An. 1492, 1495, 1498, 1500, 1503, 1504, 1506 & 1514. Ludovici II. ad An. 1522., Ferdinandi I. ad An. 1560. & ex novo ab An. 1769. Sigillo majore Hungariæ nunc regnantis Cæsareæ Regiæ Apostolicæ Majestatis, ex his, inquam, non minore evidentia constat, posteros Reges, ac Hungariæ Dominos Majorum Suorum (de quibus ab initio dicebamus) exemplo, *Galiciæ* & *Lodomeriæ* Titulos perpetuo adhibuisse, & quod sequitur, jus suum semper conservavisse.

Cæterum Leopoldi Imperatoris tempore evenit quidpiam, quod, etsi per sese ad rem præsentem non sit, silentio tamen præteriri haud debet, quod ipsorum Polonorum agnitionem Juris Regni Hungariæ in Russiam & Podoliam contineat. Extant nempe in Epist. Histor. Famil. Tom. 1. ad An. 1673. pag. 469. Andreæ Zalusii literæ ab Olszowskio, qui Vice-Cancellarii munere tum apud Polonos fungebatur, ad Opaczkium Supremum Regni Cancellarium scriptæ, quibus, ut in subjecto sub (Num. XII.) exemplari videri potest, eidem

dem

dem significat, Cæsareum ad Aulam Polonicam Legatum (erat is D. L. B. de Stom) Regi porrexisse Scriptum, quo de redimendis Cepusiensibus tredecim civitatibus pignori olim datis agebatur; & fatetur quidem, sibi haud in promptu esse, quid responderi oporteat; censet tamen, quidquid id sit negotii, totum cessione quapiam, quam obtendit, dudum compositum fuisse: tum vero hæc memoratu prorsus digna subjungit: Secus si res haberet, Imperatori etiam id juris tribui oportere, ut persolutis 100. millibus florenorum Russiam & Podoliam sibi vendicare possit, uti initi cum Rege Ludovico contractus exigunt. Consentit, quod ad rei Summam, hisce literis Epistola ab ipso Legato B. de Stom ad Imperatorem Anno 1673. data, quæ adhucdum auctoris manu scripta exstat, in qua refert, se, quod ad petitam pignoris Cepusiensis redemptionem pertinet, inter alia a Vice-Cancellario responsum tulisse, non oportere hanc restitutionis januam per Cepusiensia Oppida reserari, quippe cum id exemplo esse posset Suæ Majestati Cæsareæ similis Postulationis in Russiam cum *suis appertinentiis*, quæ pari modo ante aliquot Sæcula Reipublicæ Polonicæ ab Hungaris pro 100. millibus florenorum oppignorata sit.

Hac Poloniæ Vice-Cancellarii Epistola confirmatur, quod superius ex Epitome Sommersbergiana de Conventione inter Reges Ludovicum I. & Casimirum III. ad Annum 1352. adduximus. In Epitome quidem illa de *Regno Russiæ* tantum mentio fit; at Vice-Cancellarius una Podoliam comprehendit, quod etiam verbis illis *cum suis appertinentiis* D. B. de Stom fecisse vero est simile. Summa pecuniaria 100. florenorum millium eadem utrobivis ponitur, quæ a Vice-Can-

E cel-

cellario velut redimendæ hypotecæ causa solvenda primum spectatur; verum ex conventis cum Ludovico pactis Regnum Russiæ a Casimiri morte gratis Hungariæ reddi debuerat, utpote cum Casimiro sine hærede masculo decedente nunquam conditio impleta fuerit, cui 100. millium florenorum persolutio erat illigata.

Dum itaque Vice-Cancellarius mira prorsus ratiocinandi methodo, & nescio ad cujus Logices leges Jus *A*. extinctum demonstrare conatur, quod secus Jus *B*. valorem suum & firmitatem obtinere deberet, reipsa æquitatem nostrarum Postulationum agnovit, confirmavitque.

Non minus aperta & extra controversiam sunt jura Coronæ Bohemicæ, quæ sibi in utrumque Principatum Oswicensem & Zatoriensem vendicat.

Ducatus Oswicensis cum annexo tum Zatoriensi jam Anno 1179. a Poloniæ Rege Casimiro II. Miecislao Duci superioris Silesiæ & Teschinæ debitæ compensationis causa jure proprietario traditus est, ejusque Ducatui unitus. Rei gestæ seriem, rationesque particulares isthic adducere (præterquam quod res in longum abiret) necesse non est, quando hæc omnia cum a Germanis, tum a Polonis, antiquioribus æque, ac recentioribus scriptoribus accurate pertractata sunt, de quibus Sommersbergius Tom. I. Script. rerum Siles. Access. ad Tab. Geneal. I. pag. 301. & 305. nec non ad Tab. VI. pag. 673. consuli potest.

Quæ sequentibus dein temporibus, si Poloniam & Silesiam spectes, gesta sunt, tandem exeunte decimo tertio, & labente decimo quarto Sæculo, Silesiæ Ducatus, & Principatus, ea-

eatenus Regno illi obnoxios penitus inde sejunxerunt, atque Bohemiæ inseruerunt.

Silesia enim interea in multos variosque Principes divisa, cum hi viderent, partim sese ratione situs terrarum suarum in exteris Polonorum bellis potissimum discrimini objici, partim vero a Polonis fidem suam in suspicionem collusionis cujusdam cum Germanis trahi, tum quod multos ex ea natione inter suos adsciscerent, tum aliis etiam ex causis, atque adeo animos a sese viderent aversos, ut in publicis negotiis, electionibus atque Comitiis negligerentur, excluderenturque, quin ut privatis etiam suis, quæ in Polonia possidebant, bonis exuerentur, quemadmodum scriptorum id consensus testatur, hæc, inquam, cum viderent Silesiæ Principes, id demum remedii, quo securitati deinceps suæ consulerent, alii post alios arripuerunt, ut omni cum Polonia Societate abrupta, in protectionem Coronæ Bohemiæ concederent.

Præivit ceteris jam Anno 1289. Dux Superioris Silesiæ Casimirus II, lineæ peculiaris Teschinensis primus Parens, dum pleno Dominio a se possessas provincias, inter quas Oswicinum erat, & Zatoria, Regi Wenceslao jure clientelari obtulit.

In literis hac super re confectis & quatuordecim Sigillis munitis meminit Casimirus antiquioris jam confœderationis Parentis sui, cum Rege Bohemiæ Ottocaro, atque oppressiones, quas a Polonis tulerat, recenset, contra quas eum Bohemiæ præprimis protectio tutum præstare posset.

 An-

Anno 1327. Casimirus III. Teschinensis & Joannes Oswicensis Duces nexum Feudalem cum Bohemia renovarunt. Erat ille Casimiri II. Superioris Silesiæ Ducis Filius, Joannes vero Oswicensis, juxta Sommersbergii Tabulam Genealogicam, Casimiri III. ex fratre Nepos, cui Oswicinum, quod ad Teschinam pertinuerat, obtigit. Ipsæ utriusque Ducis literæ, quibus sese in clientelam concessisse profitentur, autographæ in Tabulario hujate extant, & apud Sommersbergium excusæ habentur. Posteriorum Apographum, cum precipue in rem presentem faciant, sub (Num. XIII.) adjectum est. Inter alia, Ducatui illi subjecta, censetur speciatim arx Zatoria, quæ posterioribus primum temporibus, adjecta, quæ satis esset, Territorii Oswicensis parte, ratione dignitatis Ducalis possessoris, a priore avulsa, & novo Ducatus Titulo ornata est.

Eodem tempore Joannes Bohemiæ Rex tanquam Supremus Dominus, concessit Casimiro III. literas fiduciarias, quibus ei, hæredibusque successionem in separatum jam Ducatum Oswicensem promittit, siquidem ejus Nepos Joannes & hujus Successores sine liberis decederent, quemadmodum in iisdem literis apud Sommersbergium videre est.

Annis 1335. & 1339. (adeoque post mortem Regis Vladislai Loktekii) inter Regem Bohemiæ Joannem, & Loktekii Filium, ac in regnum Poloniæ Successorem Casimirum III, interventu Caroli Regis Hungariæ, utrique affinitate juncti, ut controversiæ, quæ iis adhuc intercesserant, penitus tollerentur, in pacem illis conditionibus conventum est, ut vi prævii Tractatus Anni 1335. qui apud Sommersbergium Tom. I. pag. 774. & Dumontium Tom. I. Part. II. pag. 150. extat, Rex

Rex Bohemiæ Joannes, ejusque filius Carolus, tum Moraviæ Marchio, suo, suorumque hæredum nomine Juri in Regnum Poloniæ, tituloque renunciarent; Polonia vero vicissim abdicaret in perpetuum, quidquid ei juris in Silesiam, & memoratos Ducatus competere posset, nec unquam aliquid eam ob causam Bohemiæ Regibus obmoveret: id, quod postea a dicto Casimiro Poloniæ Rege diffusius confirmatum est, uti ex monumento (Num. XIV.) exhibito patet.

In utrisque literis Duces, Ducatusque Silesiæ ex nomine recensentur, quos renunciatio a Polonia in Bohemiæ emolumentum facta concernebat, & speciatim Vladislaus Teschinensis, & Joannes Oswicensis cum suis Ducatibus diserte in eadem comprehendi dicuntur. In confirmatione vero Anno 1339. secuta Rex Casimirus Poloniæ jurato fatetur, & affirmat suo hæredumque ac successorum nomine, se in dictos Duces, eorumque Ducatus, quæque ad eosdem pertinerent, nec habuisse, nec habere aliquid juris, & proinde in perpetuum omnibus se Postulationibus renunciare, & nolle ullo unquam tempore Bohemiæ Regibus eo nomine litem movere, aut nominatos Duces, & Ducatus sibi vendicare, oblatosve recipere, & propterea nullam vim esse debere, cuicunque exceptioni aut obtentui, & speciatim nullam penitus rationem præsciptionis haberi posse.

Suo itaque jure utebatur Imperator Carolus IV. Bohemiæ Rex, dum Silesiæ Ducatum ceterosque principatus, & speciatim Oswicensem, Coronæ Bohemiæ conjunxit, atque in perpetuum inseruit, quod universi etiam Electores Principes Anno 1355. ratum habuerunt, uti, quæ in manu sunt, singu-

gulorum literæ originariæ, & consonum Electoris Moguntini exemplar apud Balbinum & Dumontium, testantur.

Hæc renunciatio 1372. ex parte Poloniæ instaurata est per Ludovicum, tum Hungariæ & Poloniæ Regem, ut exemplar (Num. XV.) subjectum ostendit, recensitis expresse universis Silesiæ Principatibus, & Oswicensi speciatim. Obstringebat sese in ea jurisjurandi religione Rex Ludovicus suo, conjugis Elisabethæ, hæredum, ac successorum nomine, ne unquam in Bohemicas provincias, & peculiariter in dictos Ducatus quidpiam tentaret, aut jus sibi, titulumve in eos arrogaret; quin etiam, *si quo casu aliqui illorum Ducum, & possessorum Regi Ludovico, ejusve hæredibus sese subdere pararent, eosdem recipere aut possit, aut velit.*

Repetita hunc in modum Poloniæ renunciatione adeo firmatum est jus Coronæ Bohemicæ in obnoxium sibi clientelæ nomine Ducatum Oswicensem & Zatoriensem, ut nunquam seu a Polonis, seu ab ipsis Beneficiariis tentari quicquam potuerit, quod non jam antea omni firmitate destitutum, cassumque declaratum fuerit.

Porro exerciti interea a Bohemia juris, atque a fiduciariis etiam grato animo admissi, nihil unquam obmovente Polonia, exemplum jam Anno 1372. dedit Premislaus Teschinensis, dum is, demortuo absque liberis Duce Joanne, Oswicensem Ducatum a Wenceslao, coronato jam tum Bohemiæ Rege, feudi nomine accepit, testante id Tomo tertio prope finem Sommersbergio.

Anno 1400. Wenceslaus Rex Bohemiæ, velut Dominus directus confirmavit Hedwigi Conjugi Joannis Ducis

Oswi-

Oswicensis factam dotalitiorum securitatem, assignante arrhæ loco Zatoria, quemadmodum apud Sommersbergium eodem loco videre est.

Ut documentum ab anno 1402. apud eundem Sommersbergium Tom. I. pag. 1006. habet, universi Silesiæ Principes, & nominatim, de quo modo diximus, Joannes Oswicensis, mutuo sese fœdere conjunxerunt, ut in turbis illorum temporum graviter laboranti Wenceslao Regi Bohemiæ, tanquam Domino suo, ut disserte ajunt, hæreditario contra hostes omni auxilii genere præsto essent.

Anno 1407. sæpe a nobis dictus Rex Wenceslaus superius memorato Duci Premislao Teschinensi feudum Ducatus Oswicensis confirmat, ut habetur in Compendio apud Sommersbergium Tom. 3. in Append.

Pax publica Anni 1435., quemadmodum Sommersbergius Tom. I. pag. 1019. habet, a Principibus Silesiæ (inter quorum nomina etiam Ducis Wenceslai Oswicensis ejusque fratrum reperitur) communi nomine inita est *Postulatione*, & *Jussu* Imperatoris Sigismundi & Bohemiæ Regis, cujus sese *fideles principes & subditos* dissertis verbis profitentur.

Præter hæc Anno 1447. occurrit memoria digna conventio, ut ex documento apud Sommersbergium Tom. 1. pag. 1011. intelligitur, quæ hinc quidem a Ducibus superioris Silesiæ Oppoliensi, Ratisboriensi, Teschinensi, & nominatim a Joanne Oswicensi; inde vero a Rege, Regnoque Poloniæ ad mutuam provinciarum turbulentis illis temporibus defensionem inita est.

Ex

Ex qua evidenter ſequitur, a Polonia Duces hoſce, ac inter eos Oswicenſem, eorumque Ducatus, tum ut vicinos tantummodo nulloque nomine ſibi obnoxios ſpectatos fuiſſe, atque cum iis in fœdus velut cum exteris conventum.

Tandem vero non obſtante, quod Polonia hæc Coronæ Bohemicæ jura toties legitima agnoverit, Caſimirus IV. Poloniæ Rex circa An. 1452. in animum induxit, Ducatum Oswicenſem quavis demum via ſibi vendicare, cui propoſito exequendo opportunæ erant turbæ, quæ ob Regem Ladislaum Poſthumum Bohemiam, Hungariam, & Auſtriam involvebant.

Ut vero Caſimirus ſuſceptum Conſilium ad exitum deduxerit, dilucide ab ipſo ſcriptore Polono Dlugoſſo enarratur.

Primus hoſtilem aggreſſionem Anno 1452. contra fratres Premislaum Teſchinenſem, & Joannem Oswicenſem fecit Anno 1452 *Vice - Camerarius* Cracovienſis Schafraniecz, ut ab iis tributum iniquum exprimeret. Cum vero vim vi opponerent, & copias in Cracovienſe Territorium duxiſſent, anno ſequente Rex ipſe arma corripuit, quibus cum impar eſſet Dux Joannes, arcem Oswicenſem tradere coactus eſt, quam cum fruſtra in poteſtatem redigere conatus eſſet, eo ſeſe vidit adactum, ut Regi Caſimiro Oswicenſe Territorium partim ad reſarciendos belli ſumptus, partim pro accepta Summa pecuniaria 20. millium Marcarum *latorum* quos vocant *groſſorum* dedendum eſſet.

Bohemiæ res ſub Rege pueritiam vix dum egreſſo, tum ob tumultus Religionum cauſa obortos, tum ob præmaturum illius Anno 1457. fatum non ita comparatæ erant, ut læſa

læſa ſua Jura armis vindicare potuiſſet; haud omiſſum eſt a Succeſſore Georgio, quamvis in tempus maxime arduum ejus regimen inciderit, ut ea in integrum reſtitueret, ac Ducatum Oswicenſem, velut ſuperiori Sileſiæ proprium principatum, repoſceret. Verum cum rebus ſuis Regis Caſimiri amicitiam neceſſariam videret Georgius, quam ſibi jam Anno 1460. peculiari conventione conciliarat, atque eam modis omnibus conſervandam duceret, in Tractatu, quem præſens cum eo Glogoviæ An. 1462. inierat, ulteriorem quidem Territorii Oswicenſis & Zatorienſis, aliorumque nominatim expreſſorum locorum poſſeſſionem conceſſit, attamen in vitæ dies tantum, ne quid Bohemiæ juribus derogaret, ut ex epitome contractus hic N. XVI. ſubjecta manifeſtum fit, quæ apud Sommersbergium Tom. 2. in Mantiſſa Dipl. pag. 86. extat.

Cum ſpes ſuas, quæ adhuc erant Ducibus Oswicenſibus, Bohemorum auxilio paternas poſſeſſiones recuperandi, adeo in longum per præſentem conventionem differri cernerent, atque etiam religionis amore agerentur, Duces Premislaus Oswicenſis & *Toſtenſis*, Joannes Oswicenſis & *Gleibicenſis* cum aliis ſuperioris Sileſiæ Principibus, ſeſe Anno 1469. ad partes Mathiæ Corvini Regis Hungariæ, qui a Catholicis Georgio Calixtinorum capiti opponebatur, Pontificis ſuaſu, adjunxerunt, eique ſeſe ſubjecerunt, ut e conventionis formula apud Sommersbergium pag. 1054. oſtenditur. In his tamen Jura Coronæ Bohemicæ tanquam fundamentum præcipuum ſpectabantur.

Poſſederat ab illo inde tempore Caſimirus uſque ad obitum ſuum anno 1492. Ducatum Oswicenſem & Zatorienſem

F ſem

ſem arcem; & cum ejus ſucceſſor & filius Joannes Albertus Poloniæ Rex facile videret, fratri ſuo Vladislao II. Hungariæ & Bohemiæ Regi tum ob internas turbas, tum ob bella extera, non tam cito expeditum fore, ut reſtitutionem ejus Ducatus & arcis urgeret, auſus etiam eſt anno 1494. reſiduam Zatorienſis Territorii partem emptione a Duce Joanne II., qui tum eam poſſidebat, ad ſeſe transferre, uti emptionis litteræ apud Sommersbergium Tom. I. pag. 811. teſtantur.

Licet igitur Regi Vladislao Bohemiæ, ejusque filio, & ſucceſſori Ludovico difficillimis illis temporibus, quibus Regni habenas tenebant, haud licuerit, jura ſua adverſus Poloniam tueri; Ferdinandus tamen I. Rex mora nulla interjecta, & primo ab adito Bohemiæ Regno anno eatenus integritati eorundem conſuluit, ut contractum a Georgio Bohemiæ, & Caſimiro Poloniæ Regibus initum cum Rege Sigiſmundo I. inſtauraret, uti Compendium Sommersbergianum, quod (N. XVII.) adnectimus, oſtendit, quo ſcilicet contractu Oswicini & Zatoriæ poſſeſſio Poloniæ conceſſa ad Regis vitæ dies reſtricta fuerat.

Ab his inde temporibus nulla peculiaris Transactio aut monumentum hac de re occurrit. Attamen in omnibus interim conventionibus, & generalibus Tractatibus Bohemiam inter & Poloniam habitis ad noſtram uſque ætatem tam priſcæ illæ lites, quam recentiores controverſiæ amicæ ſemper compoſitioni per Commiſſarios utraque ex parte conſtituendos reſervatæ ſunt.

Ex

Ex hac rerum adhuc geſtarum ſerie, quam, qua licuit, brevitate ante oculos poſuimus, ſequentia, concluſionum inſtar cum antecedentibus evidente nexu juncta, deducimus: Nempe

Reges Hungariæ jam 11. & 12. ſeculo, & quod excurrit, Ruſſiam, quam dicunt, Rubram, atque ad eam pertinentes amplas, Galiciæ, & Lodomeriæ provincias legitime poſſediſſe.

Eosdem Reges ſerie nuſquam interrupta titulis, & inſignibus Galiciæ & Lodomeriæ uſos fuiſſe.

Mortuo Caſimiro ex pactis cum illo conventis, quæque a Polonis Anno adhuc 1673. rata agnoſcebantur, ad Ludovicum Ruſſiæ Regnum rediiſſe.

Mariam ejuſdem Regis filiam natu majorem, ac paterni ſolii hæredem Ruſſiam tranquille poſſediſſe.

Idem Ruſſiæ Regnum ab Hedwige Mariæ ſorore minore Poloniæque Regina vi, & armis iniquis Hungariæ fuiſſe ereptum.

Ruſſiæ poſſeſſionem vi Tractatus An. 1412. Poloniæ quidem relictam, juris tamen utriusque partis diremptionem diſſerte fuiſſe reſervatam.

His Juribus nullo unquam tempore Hungariam vel minimum renunciaſſe.

Sed ſubſecuta varia bella, turbas inteſtinas, aliaque impedimentorum genera diu obſtitiſſe, quo minus jura hæc, & Poſtulationes ſortirentur effectum: nihil tamen interea omiſſum, quo ſarta, atque illæſa ſervarentur.

 Oswi-

Oswicensem, & Zatoriensem Ducatus in clientelam Regni Bohemiæ justissimis titulis cessisse.

Hoc Dominium Bohemiam manifesti, quod eidem in universam Poloniam competebat, Juris abdicatione sibi asseruisse, atque ipsa agnoscente Polonia exercuisse.

Secutos vero Poloniæ Reges, utrumque hunc Ducatum vi, & modis illegitimis, atque illicitis venditionibus a Beneficiariis sine Bohemiæ consensu factis ad se rapuisse.

Nullius itaque ponderis esse, quæ pro causa sua Polonia obtendit; ex adverso Bohemiæ jus in hos Ducatus, qui jam illi dudum debentur, in præsentem adhuc diem perstare illæsum.

Post tanti ergo temporis dispendium jura disserte adeo demonstrata ad effectum deducenda esse, & quidem eo modo, & via, qua nunc reipsa usa est Serenissima Austriæ Domus, quæque non solum æquitati summe congruit, verum etiam unica est. Enimvero æquitatem quis non agnoscat, quando sponte relictis multo amplioribus terrarum tractibus, ad quos Hungariæ jura sese extendunt, & qui præter Ducatum Severiensem, totam Podoliam, Volhyniam, nec non Palatinatus Lublinensem, Chelmensem &c. &c. complectuntur, portione sat tenui quis sibi satisfieri patitur? quod vero via hæc, qua ad exitum tandem perveniatur, unica sit, tam verum est, quam probatum plurium seculorum experientia, quod in Manifesto Varsaviæ tradito observatur: QUE L'ETAT DE LA RÉPUBLIQUE NE PERMET PAS DE POUVOIR JAMAIS ESPÉRER JUSTICE PAR LES VOYES ORDINAIRES.

Num. I.

Literae Andreae II. Regis Hungar. ad Innocentium Pontificem Romanum.

Sanctissimo in Christo Patri, Innocentio Dei gratia, sacrosanctae Romanae Ecclesiae summo Pontifici, Andreas eadem gratia, Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galiciae Lodomeriaeque Rex salutem & filialem devotionem.

Consuevit Sedes Apostolica, se justa petentibus, exhibere facilem, & in explendis honestis petentium desideriis justis, apud Paternitatis Vestrae mansuetudinem promovendis, non immerito fiduciam Nobis repromittimus. *Noverit igitur Sanctitas Vestra, quod Galic. Principes & populus Nostrae ditioni subjecti humiliter a Nobis postularunt, ut Filium Nostrum Colomanum ipsis in Regem praeficeremus in unitate & obedientia Sacrosanctae Romanae Ecclesiae perseveraturis imposterum, salvo tamen eo, quod fas illis sit, a ritu proprio non recedere.* Verum ne tam expediens Nobis & Vobis illorum propositum, ex dilatione sustineat impedimentum, quod quidem multis de causis accidere posse constat, si legatum ad hoc exequendum a latere vestro destinatum praestolamur, *a Sanctitate Vestra postulamus, quatenus venerabili in Christo Patri Nostro Strigoniensi Archiepiscopo detis in Mandatis, ut, Apostolica fretus auctoritate dictum filium Nostrum eis in Regem inungat, & Sacramentum super obedientia Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, ab eodem exhibenda recipiat.*

Praeterea innotescere volumus vestrae Paternitati, nos ad proficiscendum Hierosolymas, sicut & tenemur, studiose intendere, & omni diligentia festinare. Ideoque, Regni Nostri curam, cujus Principes ad dissentiendum proni sunt, & filiorum nostrorum tutelam, quo-

 rum

rum aetas Patrono indiget, & Patri nostro in Christo Strigoniensi Archiepiscopo, qui & dignitate caeteris praeeminet, & fidei constantia probatus est, cum quibusdam aliis, quorum providentia, & in recessu, & post recessum nostrum credimus regnum plena tranquillitate potiri immutabiliter, possumus commendare. Quapropter, rogamus Paternitatem Vestram, quatenus compatiendo nostris necessitatibus, ipsum ab onere accedendi ad vos habeatis excusatum; venerabiles autem viros Quinque Ecclesiensem, Geuriensem Episcopos, nec non Præpositum Albensem, Cancellarium Nostrum, dudum voto alligatos, & signo crucis insignitos, ut nobis itineris socii sint, utpote ex quorum societate non modicas vires constat nobis accrescere, a vocatione Vestra diligenter imploramus absolvi &c.

Num. II.

Literæ Honorii Pontificis Romani ad Andream II. Regem Hungariae.

Nuper ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod, cum dudum Regi Nato tuo secundo genito ad Regnum Galetiae sibi datum per venerabilem fratrem nostrum Strigoniensem Archiepiscopum auctoritate sedis Apostolicae coronato in Regem, filiam nobilis viri Ducis Poloniae matrimonialiter copulasset; tum a te, quam ab ipso duce corporali juramento præstito, quod neuter vestrum dissolvi huiusmodi matrimonium procuraret, quinimo Regem praedictum in obtinendo regnum ipsum defenderetis, toto tempore vitae suae casu sinistro accidit, Regem ipsum, cum sponsa & pluribus aliis viris nobilibus, a tuis hostibus capturari, & tam diu extra Regnum ipsum mancipatos custodiae detineri, donec necessitate compulsus, cum ipsos aliter liberare non posses, juramento praestito, promisisti, quod & filio tuo tertio genito concesseris, ipsi regnum praefatum, filiam nobilis viri Miesczlau matrimonialiter copulares, super qua utique Apostolicae Provisionis suffragium postulasti.

Nos igitur hac, & aliis petitionibus tuis, in praesentia fratrum nostrorum diligenter expositis, de ipsorum consilio juramentum hujusmodi in eo duntaxat, quod regnum praedictum alii Regi auctoritate apostolica coronato primo concessum tetigisse videtur, tanquam illicitum, & primo juramento contrarium decrevimus non tenere. In eo vero, quod spectat ad aliud matrimonium contrahendum; expedire non videmus, ut absolvaris a nobis. Cum enim sicut accepimus, præfatus filius tuus & filia, supradicti M. in minori existant constituti ætate, antequam ad nubiles annos perveniant, tibi cautius & consultius provideri poterit, in hoc casu. Super eo autem, quod causam, quae vertitur inter te & carissimam in Christo filiam nostram Constantiam Romanorum Imperatricem semper augustam, & Reginam Siciliae, ad nostram petiisti audientiam revocari; noveris, nos eidem Imperatrici nostras super hoc literas destinasse, credentes, quod & ipsa velit libenter, ut idem negotium ad Apostolicæ Sedis remittatur examen &c. Datum Lat. VI. Kalend. Febr. Pontif. nostri Anno VI.

Num. III.

Ex Diplomatario Manuscripto Poloniae apud Sommersberg Tom. II. Scr. Rer. Siles. in Mantissa Diplom. pag. 81.

Ludovicus Hungariae Rex donat Casimiro I. (III.) Regi *Regnum Russiae*, hac conditione, quod si Rex Poloniae Prolem masculinam susceperit, tunc filius Regis *acceptis millibus florenis Hungaris* Regi cedere *Russia* tenebitur: Sin vero Casimirus absque masculina prole decesserit, *Regnum Russiae*, ita quemadmodum & Poloniae devolvetur secundum priora pacta ad Regem Hungariae. Datum Budae infra octavas Festi Paschae Ao. Dni. 1352.

Num. IV. & V.

Copia Donationis super Bona Polonica.

Nos Maria, dei gratia Regina Hungarie, Dalmatie, Croatie &c memorie commendamus tenore presentium significantes quibus expedit vniuersis: quod Serenissimo & Excellentissimo Principe olim Domino Ludouico premissa dei gratia Rege Hungarie, Polonie, Dalmatie &c. felicis & laudande recordationis genitore nostro benignissimo, vo-

volente domino cœli, cujus nutu omnia reguntur, & disponuntur, absque prole masculina de medio sublato, nobisque iure successorio, & ordine geniture coronam & solium dicti regni Hungarie, ac sceptra regiminis ipsius genitoris nostri, feliciter adeptis, Johannes filius Andree de Pallugya, ad nostram ac serenissime principis domine Elisabeth, eadem gratia regine Hungarie genitricis nostre benignissime veniendo presentiam, suas fidelitates, & obsequiorum merita, quibus primum eidem domino Regi Ludouico, ac tandem nobis possetenus studuit complacere, proponens, ac in memoriam nostre revocans Majestatis, portionem possessionariam in possessione Demetrovich vocata, habitam, que quondam Desk, ac portiones possessionarias in possessionibus Jesmanich, Plesevich, & Popovich, vocatis, habitas, & existentes, que quondam consortis Jvan hominum, ut fertur absque heredibus utriusque sexus defunctorum prefuisse asseruntur, in regno nostro Russie in districtu Premisliensi existentes, rationeque preuia ad manus nostras regias devolutas, sibi & Ladislao, & Michaëli uterinis, nec non Andree filio Philippi Patrueli fratribus suis a nobis perpetuo conferri postulavit: Nos igitur, que cunctorum merita animo debemus metiri pietatis, consideratis premissis fidelitatibus, & fideliorum obsequiorum meritis, ipsius Johannis, quibus idem, primum anotato domino Regi Ludouico, & demum, ut prementionatum eodem de medio sublato, nobis, locis & temporibus oportunis, juxta possibilitatis sue exigentiam indesinenter studuit complacere, predictas portiones possessionarias in dictis possessionibus Demetrovich, Jesmanich, Plesevich, & Popouich vocatis habitas, annotatos quondam Desk & dominam condam consortem Jvan de jure contingentes, prout eedem de jure nostre regie pertinere discernuntur collacioni, cum omnibus earum utilitatibus & pertinentiis vniuersis, sub eisdem metis & terminis, ac conditionibus — — quibus per prefatos condam Desk & dominam consortem Jvan habite fuerunt, & possesse de consensu ejusdem domine genitricis nostre, Prelatorumque & Baronum nostrorum consilio prematuro, eidem Johanni, ac Ladislao, Michaeli & Andree fratribus suis, Eorumque heredibus, & posteritatibus vniuersis dedimus donavimus, & contulimus, immo damus donamus & conferimus jure perpetuo, & irrevocabiliter tenendas & habendas, testimonio presentium mediante, saluo duntaxat jure alieno. Datum Bude in octavis festi beati Michaelis Archangeli, anno domini Millesimo Tercentesimo octuagesimo quinto.

Copia Statutionis.

Nos Emericus Bubek totius Regni Russie Capitaneus significamus tenore presentium quibus expedit uniuersis. Quod Johannes filius Andree Nobilis de Kis-Pallugya, de comitatu Lyptouiensi, Literas Serenissime Principis Marie dei gratia Regine Hungarie nobis presentavit in hec verba: Maria dei gratia Regina Hungarie Dalmatie Croatie &c. fidelibus suis magnifico viro Domino Emerico Bubek Capitaneo Regni totius Russie, vel Castellano cuidam Premisliensi salutem & gratiam. Cum Nos portiones possessionarias hominis cujusdam Desk dicti, qui ut dicitur absque heredum solatio universe carnis debitum persolvisset, Demetrouich, & alias portiones ejusdem ubicunque locorum situatas & quocunque nomine vocitatas, Item Jesmenich, Plesevich, & Popouich vocatas, ad prefatum castrum — — vocatum spectantibus & pertinentibus Johanni, Ladislao, & Michaëli filiis Andree de Kis-Pallugya & Andree filio Philippi de Eadem aliis litteris nostris mediantibus nove donationis titulo duximus concedendas, eosdemque in dominium earundem possessionariarum portionum volumus per vestram fidelitatem legitime statuere, & introduci; Fidelitati igitur vestre mandamus & committimus presentibus perceptis, eosdem Johannem, Ladislaum, Michaëlem, & Andream in dominium earundem portionum possessionariarum introducere, & consuetudinibus dicti regni Russie statuere debeatis, premisse Nostre nove donationis titulo possidendas. Datum Bude in octavis festi beati Michaëlis Archangeli anno domini millesimo tercentesimo, octuagesimo quinto. Nos itaque presentes Litteras domine nostre Regine honorabiliter ut tenemur acceptauimus, portionesque possessionarias Demetrovich, & alias etiam pertinentes cujusdam hominis Desk vocati, absque heredum solatio decessi, & defuncti nec non Jesmenich, Plesevich, & Popouich ad castrum — — pertinentes, & spectantes sepe dictis Johanni, Ladislao Michaëli ac Andree fratribus suis iuxta preceptum Literarum Reginalium assignauimus, in perpetuum, & statuimus, ipsis, heredum ipsorum successoribus iure perpetuo, & irreuocabiliter possidendas, tenendas & habendas, nullius contradictione obviante. Jn cujus rei testimonium perpetuamque firmitatem presentes sigillo nostro consignantes eidem Johanni, & fratribus suis prenotatis duximus concedendas. Datum in — — burga Eadem die festi omnium sanctorum anno prenotato.

Num. VI.

Nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie Necnon Terrarum Cracouie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyauie Lytthwanieque Princeps Suppremus Pomeranie Ruſſyeque dominus & Heres etcetera. Ad certitudinem preſencium & memoriam futurorum. Jnter varias ſolicitudines curasque multiplices que miniſterio Regie dignitatis incumbunt de pacifico & ſalubri ſtatu Regnorum noſtrorum ſolicite cogitare nos conuenit, ut in Regnis ipſis ac Subditis noſtris vigeat tranquilla beatitudo quietis & ſolide pacis gracia nutriatur. Summopere Jgitur occurrendum eſt ut non creſcant Jurgia ſed iuxta Magiſtram bonorum omnium caritatem que Nil ſapit extraneum nil aſperum nil confuſum, ymmo propria equitate nutrit concordiam diſſociatos coniungit pacem & vnitatem conſolidat, Cupientes itaque omnium diſplicenciarum Odiorum Jniuriarum diſenſionum & gwerrarum materias & fomites inter Sereniſſimum Principem dominum Sigismundum Romanorum Regem ſemper Auguſtum & Hungarie Regem &c. fratrem noſtrum cariſſimum ab vna, Nosque & Preclarum Principem dominum Vytowdum magnum ducem Lytthwanie fratrem noſtrum dilectum partibus ex altera, ac Regna Dominia & Subditos cuiuslibet noſtrum quoquomodo hactenus exortas & atemptatas tollere & ſuffocare & ad ſtatum debitum mutue caritatis vnione laudabili deducere, Ad huiusmodi connexionis Pacis & fraternitatis & Concordie inconcuſſe duraturam deuenimus vnionem, Primo nempe ex certa noſtra ſciencia & in virtute fidei Catholice perfecte & puro corde ac verbo Regio, accedentibus ad hoc eciam Prelatorum Baronum ac Procerum Regni noſtri Polonie Conſenſu pariter & aſſenſu aſſumimus & pollicemur, Quod ab hac die & hora inantea puram veram & ſinceram fraternitatem, vnacum predicto domino Allexandro duce lytthwanie &c. Pro quo domino Sigismundo Regi &c. predicto facimus caucionem quod Jdem dominus Allexander dux lyttwanie &c. viceuerſa ſibi eandem fraternitatem iugiter obſeruabit & per ſuas autenticas & Priuilegiales litteras firmabit, exhibebimus & ſeruabimus, Jpſumque contra omnem hominem viuentem ipſum hoſtiliter inuadere mollientem totis noſtris viribus adiuuabimus & quod auxilium vel conſilium nunquam dabimus nec conſenciemus contra ipſius ſtatum ſeu perſonam neque in periculum ſeu necem ipſius perſone nos vel alium ſeu alios aliquatenus machinabimur aut machinari volentibus conſen-

cie-

ciemus, Sed pocius conſeruacionem ſanitatis, & vite ipſius, honorem quoque ipſius pro poſſe procurabimus & quod de Regnis Terris Dominiis vaſallis ac Subditis ipſius nullo vmquam tempore quidquam attemptabimus, dampnum quoque & periculum ſtatus & perſone ac honoris ipſius auertemus. Proditoribus & Rebellibus eius non conſenciemus, ymmo fraternitatem ipſius in talibus vbi ſciuerimus premuniemus ſibi intimando defendemus ac ei aſiſtemus, ac omnia alia & ſingula erga eius fraternitatem generaliter & ſpecialiter attendemus & efficaciter obſeruabimus que vere & ſincere fraternitatis vinculum exigit & que in preſentibus litteris noſtris per diſtincciones & continencias earumdem in ſuis punctis clauſulis & articulis ſententijs quoque & Capitulis vniuerſis comprehenduntur promittimus firmiter Jnviolabiliterque & effectualiter attendere & tenere, prout viccaria & reciproca viciſſitudine prefatus dominus Sigismundus frater noſter cariſſimus heccine nobis & eidem domino Allexandro duci Lyttwanie &c. tenenda & obſeruanda repromiſit. *Verum quia ſuper Terris Ruſſye Podolye Moldauie inter ipſum dominum Sigismundum &c. & nos & occaſione earumdem inter cetera diſſenſionis materia vertebatur, Jn facto itaque Terre Ruſſye inter prefatum dominum Sigismundum &c. & nos concordatum extitit hoc modo, ut vita ſibi inſimul & nobis comite vſque ad diem obitus vnius ex nobis quem prius nutu diuino exemi contingat ab humanis, inter ipſum dominum Sigismundum Regem &c. Nos & dominum Allexandrum predictum pacis & Treugarum federa habeantur & inconcuſſe obſeruentur modo infraſcripto, quibus Treugis durantibus Terram Ruſſye prout tenemus pacifice tenebimus ſine impedimento predicti domini Sigismundi Regis &c. & Regnorum ac ſubditorum ipſius aliquali, Jn terra vero Podolye Jdem dominus Sigismundus Rex &c. tam per ſe quam per ſuos Subditos promiſit nos non impedire, neque alicui ad illam impediendam Conſilium fauorem vel auxilium preſtare Treugis duranttbus infraſcriptis. Jtem in caſu quo nos eundem Regem Wladislaum &c. memorato domino Sigismundo Rege &c. fratre noſtro voccacione diuina premori contingat, Extunc poſt obitum noſtrum predicte Treuge infra quinque annos inmediate ſequentes debent perdurare, Et econuerſo ſi pretactum dominum Sigismundum Regem &c. prius nobis decedere acciderit, federa huiusmodi Treugarum ſimiliter infra Quinquenium inter Hungarie & Polonie Regna poſt eius deceſſum debent firmiter obſeruari, & infra predictos quinque Annos Treugarum videatur de Juſticia & Jure parcium, ſecundum ſeriem & continencias litterarum alias per Prelatos & Barones vtriusque Regni Hungarie*

vide-

videlicet & Polonie Primum in Jglauia alio nomine in Nouavilla & altera uice in Antiqua villa confectarum, quarum contenta habentes hic pro sufficienter insertis quoad hoc in suo robore volumus permanere. Preterea de Terra Moldwe siue Moldauie taliter ut sequitur inter eundem dominum Sigismundum Regem &c. fratrem nostrum carissimum & nos est mutuo concordatum, Ex quo enim Magnificus Allexander Voyeuoda Moldwanus ad beneplacita & mandata nostra se nobis dinoscitur obligasse, quam obligacionem dominus Sigismundus Rex predictus ob amorem pure & sincere fraternitatis nostre nolens turbare uel impedire, Jdeo dispositum extitit & firmatum, ut quocienscumque Turci & infideles Terras Corone Hungarie cum valido exercitu hostiliter inuaderent & eandem depopulare & vastare mollirentur, aut quandocunque predictus dominus Sigismundus Rex &c. contra predictos Turcos aut infideles mille lanceas uel plures armaret & contra ipsos ad expedicionem extra fines Regni sui Hungarie destinaret, extunc ad ipsius nunciacionem & significacionem mandare debebimus supradicto Moldwano ut ipse propria in persona cum sua tota potencia eidem domino Sigismundo Regi &c. & ipsius Exercitui succurrat & obsequia prestet fideliter & constanter, saluo si Moldwanus ipse infirmitate Notabili & graui eo tunc esset preuentus quo casu nichilominus potentiam suam cum Rectore Exercitus sui Jdoneo transmittere debebit, aut si saltim in seruicio nostro cum sua potencia protunc foret preoccupatus, qui si de mandato nostro ut prelibatur in succursum contra Turcos uel infideles personaliter uenire uel infirmitate preueniente mittere suam potenciam recusaret, Extunc nos ambo videlicet Sigismundus & Wladislaus Reges simul debebimus Terram Moldauie non obstante predicta obligacione potenter inuadere, & ipsum Voyeuodam Moldwanum ab eadem amouere & dicioni nostre subiugare, optentamque inter nos Reges diuidere & per limites seu terminos infrascriptos distingwere tali modo, Quod Silue Majores Bucobina dicte incipiendo a montibus seu alpibus Regni Hungarie inter eandem Terram Moldauie & Terram Sepenicensem situate penes Sereth protendentes se ad aliam Siluam Minorem Burowina dictam usque ad fluuium Pruth debent per medium diuidi seu dimidiari, Et quod forum Jasskytarg in sinistra parte situm maneat pro nobis & Terris Russye, forum vero seu villa Berleth in dextera parte sita maneat domino Sigismundo Regi & Corone Regni ipsius Hungarie, Transcenso autem fluuio Pruth residue Silue directe procedendo per Campos desertos usque ad mare pari modo cum eisdem Campis desertis

per

per medium diuidentur, Jta quod Byelegrod cum equali medietate pro nobis & Terris Russye, & Kylia cum alia equali medietate pro domino Sigismundo & Corona Regni Hungarie maneant taliter dimidiate & diuise, Et pars illa que ex tali diuisione nobis cedet, remaneat in manibus nostris sub forma pacis & Treugarum super Terra Russye superius expressarum Vbi vero predictus Moldwanus constanter & fideliter mandata per nos sibi iniungenda in Subsidium domini Sigismundi Regis &c. & succursum adimplebit, tunc predicta Totalis Terra Moldwe apud Jpsum remanebit, Eciam post obitum alterius nostrum Regum, predictorum ad Quinquenium sub federe Treugarum predictarum, Saluo Jure partis vtriusque. Jtem si aliquis vel aliqui ex subditis cujuscunque nostrum alterius Regnorum nostrorum aut Terrarum aliquas vastaciones Predas Rapinas uel Jncendia uel alia quecunque Maleficiorum genera in Regnis & Terris alterius comiserit uel comiserint, quod per hoc Treuge premisse non infringantur, sed quod idem malefactores ad satisfaccionem Judicialiter compellantur ita quod dampna per ipsos facta de bonis eorum resarciantur, Et si Judicio parere contempnerent, vterque nostrum ipsos tamquam maleficos persequi & inpugnare tenebitur & debebit. Et ut prelibatur nullo dissensionis displicentie Controuersie & Maleficij genere superueniente quocienscumque & accidente interrumpi possit & valeat quomodolibet uel dissolui fedus Treugarum & Jnscripcionum predictarum, sed ut in talibus delicta non maneant impunita, disposuimus ut vndecumque contingat in talibus delinqui aut excessum fieri recurratur & intimetur per Jniuriam & dampnum pacientem ad alterum Opidorum utpote de Jncolis Regni Hungarie ad Opidum Sandecz & de Jncolis Regni Polonie ad Opidum Levcze Quequidem Opida teneantur Judicibus hincinde ex vtraque parte deputatis aut deputandis casum delictum & excessum intimare & ipsos inuocare, uti in termino competenti Judices quatuor numero videlicet Comittatuum de Sarus Scepusiensis Viuariensis & Zempliniensis pro tunc constituti & per dominum Sigismundum &c. deputati ad instanciam & querelam Jncole de Polonia in Antiqua villa & ex aduerso Judices totidem per nos prefatum Wladislaum Regem Polonie &c. constituti & in litteris nostris nominatim expressi utpote Sandecensis & Voyniciensis Castellani Judex & Sub Camerarius Cracouiensis eciam pro tempore constituti Jn villa Schramouicze aut in eisdem locis minor pars Judicum eorumdem prout rei qualitas depoposcerit conuenient ac

b Judi-

Judicium & iusticiam facient simpliciter & de plano, necnon subterfugijs cessantibus in delinquentes digne animaduertant. Et in corroboracionem fidem & testimonium cautele vberioris Sigilla Prelatorum Baronum & Procerum Regni nostri quorum nomina singularius inferius describuntur penes Sigillum nostrum Regale presentibus sunt appensa. Nos quoque miseracione diuina Nicolaus Archiepiscopus Halicensis ad Ecclesiam Gneznensem Postulatus Regni Polonie Vicecancellarius Albertus Episcopus Poznaniensis Regni Polonie Supremus Cancellarius, Semouithus Senior Boleslaus Mazouie Sigismundus Nouogrodensis dei gracia duces, Johannes de Tarnow Cracouiensis & Mathias de Labischino Brestensis Palatini, Sbigneus de Brzesye Regni Polonie Marschalcus Johannes Szekoczini lublinensis Johannes de Tholischcow Calisiensis Dobrslaus de Oleschnicza Voynicensis Martinus de Calinow Siradiensis domarath de Cobylani Byecensis Sbigneus Bank de Altomonte Bospergensis Paulus de Bogumilouice Polanecensis Slawecz de Bogleuicze Czirnensis Castellani, Johannes de Melstin Bartossius de charbinouice Sandomiriensis Donyn de Skrzino Cuyauiensis Subcamerarij, Zauissius de Oleschnicza Tribunus Lublinensis Virzbantha de Branice dapifer Gnewossius de daleuice Subdapifer florianus de Dzadufchicze Subpincerna Cracouiensis, Adam de Thur Lanciciensis Nicolaus de Milcouice Siradiensis Subdapiferij, Jacobus de Boturzin Magistercurie & Subcamerarius Reginalis Johannes de Conyn Magister coquine Reginalis, Dobeslaus de Curoszwanky Johannes Manzik de dambrowa Zauissius Niger de Garbow Petrus de Medzwedz Andreas Czolek de Ostralanka Capitaneus Halicensis Paulus de Biscupicze Cristinus de Cozeglowij Zaclica de Korzkyew Nicolaus Powala de Taczow Groth de Ostrow Johannes de Osolin Henricus de Rogow Petrus de Chelin Petrus Cordbok Stanislaus de Wynarij Nicolaus Sinowecz de Warzangow Nicolaus Cracowka de Wsczischouicze Andreas de Brothoczicze Jacobus de Grzibaw Raphael Borowecz de daleschcouice Nicolaus Slanka de Rudka derslaus de Wlostouice Adam Scheuiga de Moskorzow, bona fide & christianice nostris & fratrum Regnicolarumque vniuersorum vice & nominibus assumimus pollicemur & fideiubemus, quod omnia & singula superius scripta & expressa prefatus dominus noster Wladislaus Rex attendet & nosque attendemus & seruabimus, suam quoque Serenitatem toto conamine inconcusse observando inducemus, dolo & fraude in premissis omnibus & singulis proculmotis. Datum

tum in Lyblyo decima quinta die Mensis Marci Anno domini Millesimo Quadringentesimo duodecimo &c.

Sigillum Regis appensum, cum aliis quinquaginta Magnatum Poloniæ; quorum duodecim avulsa sunt.

Num. VII.

Wladislaus dei gracia Rex Polonie necnon Terrarum Cracovie Sandomirie Syradie Lancicie Cuyauie, Lithwanieque Princeps Supremus Pomeranie Russieque dominus & heres. Notumfacimus quibus expedit vniuersis. Quomodo cupientes ea que per Prelatos & Barones nostros videlicet Reuerendos in christo patres dominos, Nicolaum Sancte Gneznensis & Nicolaum Sancte halicensis Ecclesiarum archiepiscopos, ac validos viros Cristinum de Ostrow Castellanum Cracouiensem Johannem de Tarnow Cracouiensem Nicolaum de Michalow Sandomiriensem Palatinos, Michaelem de Bogumilouicze Sandomiriensem Johannem de Sczekoczin Lublinensem Castellanos, Sbigneum de Brzeze Regni Polonie Marschalcum & Zavissium de Oleschnicza Tribunum Lublinensem, in Iglauia alio nomine Nowauilla feria tercia proxima ante dominicam Ramispalmarum nunc preteritam, cum Prelatis & Baronibus domini Sigismundi Regis Hungarie Illustris fratris nostri carissimi Jpsius plenam & omnimodam potestatem habentibus, tractata sunt alterutrim & conclusa, Eorumque litteris efficaciter roborata ac firmata, ad finem debitum ac perfectum redducere, ad Conuencionem & terminum Placitorum, ad diem Sancti Martini proxime venturum, nostris Prelatis & Baronibus in Schramouicze, Prelatis vero ac Baronibus Jpsius domini Regis Hungarie in Antiqua villis statutum & prefixum juxta continenciam litterarum prelatorum & Baronum predictorum, Hos Prelatos videlicet wenerabiles in christo patres & dominos Jacobum Plocensem Albertum Poznaniensem Nicolaum wilnensem & Mathiam premislensem Episcopos, Barones autem Christinum Castellanum Cracouiensem Johannem Liganza lanciciensem Mathiam Calisiensem Palatinos, Georgium alias Gedigolt Consiliarium fratris nostri ducis Allexandri, alias withowd Capitaneum Podolie, Johannem de Sczekoczin Lublinensem Nicolaum Santocensem Castellanos, Johannem Cracouiensem & Petrum

 trum

trum Syradiensem Judices, de ipsorum fidei puritate, solerti industria, maturo consilio, & prouida circumspeccione plurimum confidentes, & maxime presumentes, dirigimus destinamus & mittimus, Jpsosque in Judices, amicabiles compositores, & arbitrarios decisores, Omniumque negociorum & causarum nostrarum gestores, eligimus & constituimus iuxta formam & tenorem litterarum, ut premittitur, per predictos Prelatos & Barones in Iglauia alio nomine in Nowauilla super finali decisione & conclusione omnium factorum, inter nos & predictum dominum Sigismundum Regem hungarie vertencium, confectarum. Hoc expresso, quod si vnus aut plures Jpsorum mortui aut legittime impediti fuerint, quod alii uel alius loco ipsorum ponantur & locentur, Dantes & concedentes eisdem Prelatis & Baronibus nostris, meram, puram, absolutam, & omnimodam nostram Regiam auctoritatem, Ex certaque sciencia nostra & animo deliberato plenam ac omnimodam potestatem, omnium displicenciarum, causarum, controuersiarum & Jniuriarum materias, inter nos, Regnum, Terras, dominia, Metas, Limites, Territoria & confinia nostra, ac dominum Sigismundum Regem hungarie, Terras, Subditos, dominia, Metas, limites & confinia Jpsius currentes & exortas Judicandi, Sentenciandi, tractandi, concordandi, arbitraliter decidendi, componendi, concludendi ac Juridice finaliter terminandi, simul eciam uel diuisim, Terminosque ad decidendum si semel decidi uel terminari non poterint, prorogandi & statuendi, tociens quociens fuerit opportunum. Promittentes, ratum gratum atque firmum perpetuo tenere & seruare, quidquid per ipsos Judicatum, tractatum, compositum, decisum ac conclusum fuerit in premissis, Harum quibus Sigillum maiestatis nostre est appensum testimonio litterarum. Datum in Becz die dominica proxima ante festum Sancti Martini, Anno domini Millesimo Quadringentesimo vndecimo.

(L.S.) dominus Rex
Per se.

Num. VIII.

Nos Jacobus dei gracia Plocensis Albertus Poznaniensis Nicolaus Vilnensis Mathias Premisliensis Ecclesiarum Episcopi, Cristinus de Ostrow Castellanus Cracouiensis Johannes liganza Lanciciensis Mathias

thias de Wanszosche Calisiensis Palatini, Georgius alias Gedigolt, Consiliarius ducis Allexandri alias withowd, Capitaneus Podolie, Johannes de Sczekoczini, lublinensis, Nicolaus de Bloczischow Santocensis Castellani, Johannes Cracouiensis & Petrus Siradiensis Judices. Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis. Quod habito & seruato die Conuencionis & termino Placitorum per wenerabiles in christo Patres dominos Nicolaum Gneznensem & Nicolaum halicensem Archiepiscopos Christinum de Ostrow Castellanum Cracouiensem, Johannem de Tarnow Cracouiensem Nicolaum de Michalow Sandomirensem, Palatinos, Michaelem de Bogumilouicze Sandomiriensem Johannem de Szekoczini lublinensem, Castellanos, Sbigneum de Brzeze Marschalcum Regni Polonie, & Zauissium de Oleschnicza, Tribunum lublinensem, Consiliarios & Ambasitores domini nostri wladislai Regis polonie &c. circa festum sancti Martini, nobis in Schramouicze, & prelatis ac Baronibus Serenissimi Principis domini Sigismundi Regis hungarie &c. in Antiqua, villis, juxta tenorem litterarum per eosdem Consiliarios & Ambasitores domini Wladislai Regis Polonie domini nostri graciosissimi, Jn Jglauia alio nomine in nouauilla, confectarum, cum Prelatis & Baronibus, videlicet domino ladizlao Episcopo Timiniensi, Necnon ecclesie beate Marie virginis in Czepuss gubernatore, Sijmone de Rosgon Judice Curie domini Regis Hungarie, Emrico de perenii secreto Cancellario domini Regis hungarie. Petro de pereni alias Comite Siculorum, Johanne de Rosgon, Stephano de Nana Petro de Brizouicz Comite Czepusiensi, Matheusch Palecz Comite de Borsed Castellano de drusdzur, Johanne de Humenna, Stephano filio Pauli de Szomosch, Benedicto Czuder, & Johanne filio Jacobi de Nadmihal, ad eandem Conuencionem per Serenissimum principem dominum Sigismundum Regem hungarie missis, de speciali & expresso mandato, Serenissimi principis, domini Wladislai Regis Polonie domini nostri graciosissimi, ad hunc finem deuenimus, & hoc in eadem Conuencione conclusimus, Primo & principaliter quod treuge pacis per Serenissimos principes dominos Sigismundum Hungarie &c. & Wladislaum Polonie &c. Reges Regnaque & dominum Allexandrum alias Withowd, & subditos ac Coadiutores ipsorum firmiter inuiolabiliterque ac cristianice, a die date presencium usque ad festum Asumpcionis beate Marie virginis gloriose proxime affuturum, debent teneri & seruari. Jta quod interim Jpsis stantibus ac firmiter obseruatis pro firmanda pace perpetua, predicti Serenissimi Princpes & domini Sigismundus hungarie &c. & Wladislaus Polonie

lonie &c. Reges, Jpſo die dominico Carnisprivij proxime affuturo, quo in Eccleſia dei, Eſto michi decantatur, uel alia die ſi quam apciorem eis inuenerint, Jpſe dominus Sigismundus Rex hungarie in Kerſmargth uel in lubowla, & dominus Wladislaus Rex Polonie in Sandecz debent conſtitui, & ibi demum de perſonali Conuencione per ipſos facienda, die & loco aptis prouidere, Ad quam utique quilibet ipſorum Regum, debet venire, niſi infirmitate aut aliquo alio notabili, & legittimo impedimento eſſet impeditus, quod vtique impedimentum ſi occurrerit, vnus alteri ſignificando declarabit. Si autem quod abſit, habita Conuencione, ut premittitur, perſonali, Jpſi domini Sigismundus hungarie, & Wladislaus polonie, Reges, perpetuam inter ſe non fecerint vnionem, ex tunc ad feſtum beatorum Philipi & Jacobi Apoſtolorum proxime affuturum, juxta ſeriem litterarum in Jglauia alias in Nouauilla confectarum, Prelati & Barones domini Sigismundi Regis Hungarie in Antiqua, & prelati ac Barones domini Wladislai Regis polonie in Schramouicze, villis, ad idem faciendum preciſe & directe, debent iterum conuenire, Et omnes diſplicencias diſſenſiones, ac Jniuriarum materias, inter eoſdem dominos Sigismundum hungarie, & Wladislaum polonie, Reges, currentes & exortas, per modum concordie, aut Judicialiter ſeu rigore juſticie, prout in litteris predictis in Jglauia ſeu in Nowauilla confectis deſcribitur, decidere, rectificare, & complanare, Que quidem littere, per prelatos, & Barones in Jglauia alio nomine in Nouauilla, pro perpetua vnione, inter predictos dominos Sigismundum Hungarie, & Wladislaum Polonie, Reges, confecte & conſcripte (non obſtantibus hijs inſcripcionibus, quas ad Conuenciones per dominos predictos, Sigismundum hungarie & Wladislaum polonie Reges, habendas, & treugas quas ad feſtum Aſſumpcionis beate Marie proxime affuturum ſeruandas, conficimus & facimus preſentibus, in omnibus earum clauſulis, articulis, punctis, diſtinccionibus, condicionibus & Sentenciis, debent inviolabiliter obſeruari, & teneri, ac eciam in ſuo robore permanere, Jllo eciam addito ſpecialiter & expreſſo, quod ipſe dominus noſter Wladislaus Rex Polonie &c. Cruciferos de Pruſſia per gwerras & contenciones gwerrarum notabiles & publicas non invadet nec turbabit, ſed iuxta tenores litterarum quarumcunque inter ipſum dominum Wladislaum Regem Polonie eiusque fratrem dominum ducem, Withowdum, ex vna & ipſos Cruciferos parte ex altera, quomodolibet confectarum, facta ſua cum ipſis diſponet. Si autem ipſe dominus Wladislaus Rex polonie dominus

noſter graciosus, eos quod deus aufferat per gwerras manifeſtas ut premittitur moleſtaret contra inſcripciones proprias ſuper vnione perpetue pacis, inter ipſum & eosdem Cruciferos, confectas, ex tunc dominus Sigismundus Rex hungarie ad ſeruandas pacis treugas, quas a die date preſencium, ad predictum feſtum Aſumpcionis beate Marie virginis proxime affuturum ſtatuimus & fecimus, non debet eſſe aſtrictus ſeu igatlus, ſi autem ipſi Cruciferi ex aduerſo inſcripciones Jpſi domino Wladislao Regi polonie factas violarent, & eas ſeruare contempnerent, tunc ipſe dominus Sigismundus Rex hungarie &c. debet recedere ab ipſis Cruciferis & nulla penitus Jpſis auxilia, ſubſidia, & conſilia preſtare tenebitur, aduerſus dominum noſtrum Regem polonie, & fratrem ipſius dominum Allexandrum alias Withowd, & ipſorum Coadjutores in littera vnionis contentos & conſcriptos, Publica uel occulta. Promittimus inſuper bona fide ſine dolo & fraude, quod preſentes litteras dominus Wladislaus Rex Polonie predictus, dominus noſter graciosiſſimus in omnibus eorum articulis, clauſulis, & condicionibus tenebit & ſeruabit, & litteris ſue maieſtatis ſigillo, confirmabit, quas in Caſtro Czornſteyn, Jpſo die Epiffanie domini predictis prelatis & Baronibus, cum quibus has inſcripciones fecimus, tradendas & dandas reponemus, Eo eciam non obmiſſo, quod Mercatores de Regno hungarie ad Regnum polonie iuxta tractatum & diſpoſicionem in Jglauia alio nomine Noua-uilla, habitam, cum eorum Mercibus liberam transeundi, & reddeundi, ac facta eorum diſponendi habebunt facultatem. Harum quibus Sigilla noſtra ſunt appenſa teſtimonio litterarum. Datum in Schramouizce feria quinta Jpſo die feſti ſancte Elizabet, Anno domini Milleſimo, Quadringenteſimo vndecimo.

(L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.)

Num. IX.

Nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie Necnon Terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuijauie Lytthuuanieque Princeps Suppremus Pomeranie Russieque Dominus & Heres. Et Allexander alias witawdus Magnus dux Littwanie &c. Notum facimus quibus expedit vniuersis. Altitudo diuiciarum sapiencie & sciencie dei cuncta disponens numero, pondere & mensura, qui eciam corda tenet Regum & illa quo voluerit sua voluntate deflectit, Nos cum Serenissimo Principe domino Sigismundo dei gracia Romanorum &c. Rege fratre nostro carissimo, conuenire disposuit, vt inter nos mutuis hincinde tractatibus colloquijs & placitis observatis & habitis inter nos, ab vna, & prefatum dominum Sigismundum Romanorum &c. Regem fratrem nostrum carissimum parte ab altera super omnibus odijs, displicencijs, rancoribus discrepancijs lesionibus, dampnis Jniurijs & offensis post perpetua pacis federa dudum in Liblio inita inter nos vtrumque subortis suscitatis & occasione quacunque, a quacunque parte transgressis, mutua caritas & rediuiua fraternitas oriretur, Omnium Rancorum odiorum displicenciarum, dissensionum dampnorum Jnjuriarum offensarum & discrepanciarum, spiritus sancti nos gracia dirigente, ammotis prorsus fomitibus & incentiuis peremptis, paxque perpetua & tranquillitas restaurentur, quia non nisi pacis in tempore bene colitur auctor pacis. Jdcirco non per errorem aut inprouide, sed animo deliberato, sano Prelatorum Principum Baronum & Procerum nostrorum fidelium accedente consilio, hujusmodi pacem vnionem, & fraternitatem restaurauimus reduximus, restauramus & reducimus ad fraterne caritatis pristine perfectionem, que per quedam incomoda dampnorum iniuriarum & offensarum predictarum fuerat aliquanto tempore intercepta, ita quod ad ea mala nunquam de cetero sub fide & honore & pondere prestiti iuramenti instantibus seu obuiantibus suggestionibus persuasionibus & susurrijs quorumcunque quomodolibet reuertemur, nec eorum ullo vnquam tempore nos & heredes & Successores nostri inter nos in malo debemus nec volumus reminisci, ad animum reuocare, innouare uel mouere, ex nowis uel alijs quibuscunque causis & casibus emergentibus in futurum, in quocunque statu uel dignitatis eminencia dirigente altissimo fuerimus sublimati, sed dictum dominum Romanorum & hungarie Regem &c. mutuis fauoribus & amoris vinculo prosequi

sequi tenebimur, ac si nunquam inter nos & eum dissensiones, odia, dampna & iniurie huiusmodi contigissent, Jpsumque vera perfecta Christianica & indubitata caritate complecti, *iuxta litteras & inscripciones inter nos in Liblio editas & sub fidei puritate & iuramento firmatas.* Jnsuper promittimus pro nobis heredibus & successoribus nostris, ac sub fide & honore nostris purissimis pollicemur pro nobis Terris & Subditis Regnorum nostrorum, nostris & ipsorum nominibus, quod vniuersas & singulas litteras Jnscripciones Priuilegia Contractus pactiones, Et munimenta omnia inter nos & dictum dominum Sigismundum Romanorum & Hungarie Regem &c. fratrem nostrum carissimum & eius Subditos inita concepta edita facta & finita sub quacunque forma verborum seu tenore, quocunque tempore, & in quibuscunque locis & *presertim litteras predictas in Liblio iuramento firmatas, quas hic habere volumus pro insertis, seruabimus*, nec racione & occasione huiusmodi odiorum displicenciarum iniuriarum dampnorum lesionum & perturbacionum inter nos & dictum fratrem nostrum forte swadente seminatore zyzanie suscitatarum ullam instanciam lesionem dampnum preiudicium & iacturam quomodolibet faciemus, sed semper huiusmodi concepta fraternitas, pacta federa & caritatis vinculum in solida perfecta continua & firmitate perpetua in eo statu & vigore, in quibus a primeuis eorum exordijs fuerant, debebunt inuiolabiliter remanere, & iugiter priorem effectum & efficaciam optinere, *Easdem litteras* Priuilegia & contractus prefatos *innouantes ratificantes gratificantes roborantes & de certa nostra sciencia confirmantes.* Et Nos Albertus dei gracia Episcopus Cracouiensis Regni Polonie Cancellarius Supremus, Semowithus Junior, & Allexander eadem gracia duces Mazouie, Johannes de Tarnow, Cracouiensis, Sandziwogius de Ostrorog Poznaniensis, Nicolaus de Michalow Sandomiriensis, Mathias de labischin Brestensis Pallatini, Mosticius de Stanschow Poznaniensis, dobeslaus de Oleschnicza woynicensis, Florianus de Corithnicza wijsslicìensis, Johannes de Tolischkow Calisiensis, Martinus de Rijthwanij Zauichostensis, domarathus de Cobijlanij Becensis, Sbigneus de Altomonte Rospergensis, Johannes de lanzenicze Santhocensis, Johannes de lichin, Szreniensis Castellani, Sbigneus de Brzeze Marschalcus Regni Polonie, Georgius Gedigold, Capitaneus Podolie, Nicolaus Sepenskij Consiliarius Magni ducis Lijtthuanie, Zauissius Niger de Garbow Capitaneus Cruschuicensis, Henricus de Rogow vicethezaurarius Regalis, Jo-

Johannes Manzijk de dambrowa, Pincerna Regalis, Albertus Maſſkij lancicienſis, Thomaſſius Scheliga Siradienſis, Petrus de Piſarij Reginalis Subcamerarij, Paulus de Biſcupicze Gladifer Regalis, Johannes & Spithko de Melſtijn domini, Dobrogoſtius Swidwa de Schamotuli Stanislaus de Chodow venator lancicienſis, Petrus de Medwedz Jnciſor Regius, Johannes Noſſ de dobrkow, Laurentius Zaramba Marſchalcus Curie Regalis, Sbigneus de Lapanow Camerarius Cracouienſis, Petrus de Curow Thomko Kalskij Johannes Glowacz de Oleſchnicza Nicolaus Powala de Taczowo Nicolaus de Chranſtow, Stanislaus Ebermuth de Wijnarij Johannes Gamrath de Climonthow, Jwo de wijwla, bona fide & Chriſtianica, noſtris & fratrum Regnicolarumque vniuerſorum vice & nominibus, aſſummimus & pollicemur, Quod omnia & ſingula ſuperius ſcripta & expreſſa dominus noſter Wladislaus Rex & dux attendent, Noſque attendemus, & ſeruabimus, ſuamque ſerenitatem inconcuſſe obſeruandum inducemus, dolo & fraude in omnibus & ſingulis premiſſis proculmotis. Preſencium ſub noſtre maieſtatis ac noſtri Allexandri alias witauudi, ac eciam prelatorum Principum & Baronum predictorum Sigillorum teſtimonio litterarum. Datum in Opido kezmark Strigonienſis dioceſis, Anno domini Milleſimo Quadringenteſimo vigeſimo tercio. Feria tercia poſt dominicam Ramiſpalmarum.

(L. S. Regis.) (L. S. Ducis.) cum quadraginta duobus Sigillis Magnatum Poloniæ.

Num. X.

Wladislaus Tertius dei gratia Rex Polonie, Nec non Terrarum Cracouie Sandomirie Siradie Lancicie Cuyauie Lythwanie Princeps Supremus Pomeranie Ruſſieque dominus & Heres &c. Ad perpetuam rei memoriam. Ad populorum regimen & tutelam, ſalutemque animarum & potiſſimum fidei ſancte defenſionem, & augmentum conſtitutas eſſe in orbe Terrarum ab eo per quem Reges regnant, & principes imperant, Dominancium & Regum poteſtates Diuini Juris auctoritas & humani liquido declarat & oſtendit. Caruiſſet profecto humana conditio iugo dominij, nec libertatem a ſe quam eis natura donauerat homines abdicaſſent, niſi quod impunita licentia ſcelerum in euidentem humani generis perniciem redundabat, & ſic ex neceſſitate quadam opportuit naturam ſubeſſe iuſticie & ſeruire iuſticie libertatem, Sicque non ob hoc ſolum dominos ſubditis ſentencia diuina prefecit, vt eis imperando preeſſent, ſed ut ipſis quo tocius reipublice ſalutis vigeret integritas, pacis & iuſticie copiam miniſtrando prodeſſent. Verum cum illi ſummo omnium principi deo & ſaluatori noſtro, qui omnem regit mundum, nichil eſt quod fieret in Terris accepcius, quam ſalus animarum, qui eciam de ſecreto patris pro operanda omnium ſalute deſcendens, in Terris viſus eſt, & mortem ſubijt temporalem. Profecto qui onus quod conducere ad ſalutem hominum non ambigitur ſubire & ſuſcipere refugit, Summi Regis dilectionem oſtendit ſe non habere. Quamobrem, cum poſtquam per obitum diue memorie Sereniſſimi Principis domini Alberti Romanorum & Hungarie Regis, Regnum ipſum Hungarie ſuo deſtitutum fuiſſet rectore, Regni eiuſdem Prelati Principes Comites Barones Proceres Communitates, quatenus & Sibi & Regni ſui Statui ſalubriter proſpicerent, Solennes ipſorum Ambaſiatores & Nuncios Regni eiuſdem Prelatos & Barones Jnſignes & Magnificos videlicet Reuerendum in chriſto Patrem dominum Johannem Segnienſem Epiſcopum Gubernatorem Abbatie de Sancto Gothardo, Mathkonem de Talloncz Regnorum Dalmacie & Croacie ac Tocius Sclauonie Banum, Johannem De peren Magiſtrum Thauarnicorum Regalium, Ladislaum de Paloncz Magiſtrum Curie Regalis, Emericum de Marczali Magiſtrum Dapiferorum Regalium & Comitem Simigienſem, Mandato & Auctoritate Tocius Regni predicti fulcitos ad preſenciam noſtram in Ciuitatem Cracouienſem tranſmittendos ſtatuiſſent, qui inibi conſtituti, poſt exactam & quam tante rei pondus poſtulabat deliberacionem, Nos deſiderio vnanimi & voto concordi in ſuum dominum & Regem Regni Hungarie prefati nominauerunt & elegerunt, Noſque ſubſequenter magna cum inſtancia ſummoque deſiderio precati ſunt, quatinus Regni illius populorumque & dominiorum eiuſdem Regimen & Gubernacula ſuſciperemus, Arbitrati, quemadmodum ex ipſorum votis ſatis collegimus, idipſum pro bono & ſalute Horum duorum Hungarie & Polonie Re-

Regnorum, Proque ipsorum & Katholice fidei defensione & incremento plurimum expedire. Nos itaque Wladislaus Rex prenominatus auditis eorundem Huiusmodi desiderijs, & ipsis attenciore Consilio nostrorum Prelatorum & Baronum examinatis, Etsi Dono Altissimi Regni nostri Polonie predicti amplissima Dominia Nobis ad dominandum ad plenum sufficiant, Ne tamen videremur & diuine voluntati contraire & salutem populi Christiani negligere, De Consilio Prelatorum Principum & Baronum nostrorum, considerato maxime qualiter predicta Regna Sibi confinancia & Barbaris nationibus finitima sunt murus & Clipeus fidelium pro honore nominis diuini & defensione fidei catholice, si quod forte Omnipotens deus, ex vnione Horum Regnorum pro incremento ipsius fidei operari & efficere dignabitur quod speramus, confisi de misericordia ipsius, desiderijs prefatorum Dominorum annuimus, nominacioni seu Electioni ipsorum predicte de persona nostra facte consensum prebuimus & Harum serie consentimus & annuimus. Vtque cunctis innotescat Nos ad eam Rem non cupiditatis ardore nec ambicionis amore, sed ea quam premisimus animi sinceritate attractos esse pro bono Statu eiusdem Regni Conditiones & Modos infrascriptos quos prenominati Oratores Regni Hungarie predicti per nos admittere & manutenere ardencius desiderarunt, de mera nostra liberalitate grato affectu admisimus & Tenore presencium ipsorum integre & inuiolabiliter seruare & manutenere pollicemur & spondemus. Jn primis itaque Promittimus & pollicemur, Quod postquam nos deo fauente Regni predicti Hungarie Dyadema feliciter susceperimus, in ipsa Coronacione nostra omnia Jura libertates & Bonas consuetudines Regni jpsius usque ad presens tempus tentas & obseruatas iuramento & litteris nostris Regalibus confirmabimus. Decreta quoque Diuorum eiusdem Regni Regum & predecessorum nostrorum, ac eciam omnes libertates & Jura Ecclesiarum & Monasteriorum Regni predicti inuiolabiliter & inconcusse seruare, ac Ecclesias predictas & bona ipsarum ab omnibus iniurijs defendere & tueri promittimus. Similiter omnes Donaciones tam Ecclesiasticis quam Secularibus personis vigorosas & legittime & signanter per Serenissimam Principem Dominam Elizabeth eiusdem Regni Reginam modernam factas tenebimus ac teneri atque obseruari faciemus. Jtem promittimus atque pollicemur, Quod Regnum predictum Hungarie & Subditos eiusdem contra & aduersus quoslibet Jnimicos eiusdem tam Turcos quam quoslibet alios vbicunque positos & occurrentes, copijs Regni Polonie predicti

&

& dominiorum suorum fideliter iuxta posse tuebimur subleuabimus & iuuabimus, & reciproco modo, ipsi Regno Polonie promittimus Regnum ipsum Polonie & eius Subditos cum potentijs Regni Hungarie contra Tartaros & quoslibet ipsius Jnimicos pari passu modo & vicissitudine fideliter tueri & adiuuare. *Promittimus eciam & spondemus Quod omni diligencia sollicitudine & opera nostra quantum in nobis fuerit, niti & laborare volumus pro recuperandis omnibus Juribus & pertinencijs Regni Hungarie pretacti a quibuscunque occupatis. Eo eciam signanter expresso, quod Terre Russie & Podolie remaneant in pacifica possessione sicut hactenus fuerunt Regni Polonie sine preiudicio Hungarie & Polonie Regnorum predictorum, quousque inter Prelatos & Barones vtriusque Regni, & quando prefato domino Regi videbitur, celebrari poterit Conuentio pro declaracione Juris & Tituli Terrarum predictarum cui Regno competant,* Hoc eciam specialiter adiecto, quod quo ad articulum Terre Moldauie remaneat pronunc in Statu in quo est, & adueniente tempore, quo domino Regi videbitur, de Consilio Prelatorum & Baronum vtriusque Regni fiat secundum *quod in antiquis litteris desuper confectis continetur.* Preterea ut nostra in hijs sincera intencio appareat, & vt quod verbo de recuperandis Juribus & pertinencijs Regni Hungarie dicimus & promittimus effectu ipso rei comprobetur, deturque intelligi, quanto affectu incrementum Regni eiusdem cupiamus, Castrum Lublio in Terra Scepusiensi cum omnibus Ciuitatibus Opidis Villis que Titulo pignoris usque ad presens tempus racione Regni nostri Polonie pacifice possedimus & tenuimus atque tenemus, Promittimus & pollicemur de nostra mera liberalitate statim postquam celebritas Coronacionis premisse feliciter facta fuerit & consumata, reintegrare & libere restituere Regno Hungarie, absque quauis pecuniarum predictarum in quibus pignori obligata fuerunt exaccione Litterasque quascunque superinde confectas mox post dictam Coronationem restituemus. Promittimus insuper & pollicemur Rebellibus & infidelibus Regno Hungarie predicto omnibusque & singulis extra fines Regni ipsius ob eorum demerita pulsis & relegatis graciam redeundi & resumendi in Regnum ipsum non faciemus absque Consilio Prelatorum & Baronum Regni predicti prout hoc habet & obtinuit Regni eiusdem antiqua consuetudo pro conseruanda quoque pace & quiete Regni Hungarie prememorati, & Subditorum eius Promittimus & spondemus Serenissimam Principem dominam Barbaram Jmperatricem Romanorum in Regnum Hungarie seu intra

 Li-

Limites & pertinencias Regni eiusdem non intromittere nec induci facere, sed nec aliter quomodolibet introductam in Regno eodem absque voluntate & consensu Prelatorum & Baronum omnium Regni predicti confoueri, Que quidem, si quid cause contra quamcunque personam Regni ipsius habeat habueritve in futurum, & de eadem agere & experiri voluerit, per procuratorem suum legittimum id prosequatur. Et nos cum Prelatis & Baronibus Regni predicti eidem Justiciam plenam & expeditam ministrabimus & ministrari faciemus. Licebit tamen nobis secundum Regalem munificenciam prefate Serenissime domine Jmperatrici extra fines Regni Hungarie supradicti pro Statu eiusdem prouidenciam facere iuxta placitum nostre voluntatis. Preterea cum Relicta Margaretha quondam Johannis de Gara propter quosdam notorios excessus suos per Judicium quondam Serenissimorum dominorum Sigismundi Romanorum Jmperatoris quam eciam Alberti Hungarie Regis de Consilio Prelatorum & Baronum eiusdem Regni in capite & in bonis condempnata dicatur, Et propterea usque in presens in carceribus teneatur, Promittimus Judicium predictum ratum & gratum habere, nec aliquem seu aliquos occasione huiusmodi molestari vel ab aliis impeti seu molestari permittere. Licebit tamen nobis eam proprie libertati donare & extra fines Regni emittere. Jn cuius robur & testimonium presentes litteras Sigillo Maiestatis nostrae communiri mandauimus. Actum & Datum in Ciuitate nostra Cracouiensi Octaua die Mensis Marcij Anno domini Millesimoquadringentesimoquadragesimo. Per manus Magnificorum Johannis de Coneczpole Cancellarij & Petri woda Sczekoczini vicecancellarij Regni polonie sincere dilectorum. Nos autem Prelati & Barones atque proceres Regni Polonie pro Suprascripto Serenissimo Principe domino nostro Rege Promittimus atque pollicemur, Quod prefatus dominus Rex noster Hec omnia suprascripta seruabit tenebit faciet atque attendet singula que in dictis Litteris continentur. Jn cuius testimonium Sigilla nostra ipsis Litteris appendi fecimus Jn robur & fidem ampliorem. Datum ut supra.

Sigilla, quorum, præter Regium, viginti Magnatum appensa fuere, planè avulsa sunt, superstitibus duntaxat aliquot pessulis membranaceis.

Num. XI.

Num. XI.

Acta Pacificationis Bithomiensis & Bendzinensis.

Nos infrascripti sacratissimi, atque invictissimi Romanorum Imperatoris Rudolphi secundi nec non Hungariae, Bohemiaeque Regis, Archiducis Austriae &c. &c. Domini Nostri clementissimi, universaeque Serenissimae Domus Austriacae, Regnorumque Caesareae Majestatis Hungariae, Bohemiae, caeterarumque Provinciarum deputati Commissarii, Gvilhelmus Ursinus a Rosenberg, Domus Rosenbergicae Gubernator, Eques aurei Velleris, Sacrae Caesareae Majestatis intimus Consiliarius, & Supremus Regni Bohemiae Burgravius, Petrus Episcopus Jauriensis, Regni Hungariae Cancellarius. Christophorus Poppl Baro in Lobkowitz, & Tachaw Sacrae Caesareae Majestatis Camerarius, & Supremus Regni Bohemiae Camerae Praefectus, Richardus Strein. Baro in Schwartzenau & Tirnstain, Stanislaus Episcopus Olomucensis, Princeps Regalis Capellae Bohemiae, Comes Zaifridus a Promnitz Baro in Pless, Sorau, & Tribel, Nicolaus Istwanffi de Kizazgon Falua Officii Palatinatus R. Hungariae Locumtenens, Capitaneus Soproniensis, Joannes Kobentz Baro in Proffedk Ordinis Teutonici Commendator ex una parte: ex altera vero Nos Serenissimi Principis, & Domini Domini Sigismundi III. Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, &c. &c. nec non commemorati Regni, Magni Ducatus Litvaniae, caeterarum Ditionum ejus Nomine itidem deputati Commissarii, Hieronymus Comes in Rozdrazew, & Bombzdorff, Dei Gratia Episcopus Vladislaviensis, & Pomeraniae, Janussius Dux Ostrogiae, & Palatinus Volhiniae, Stanislaus Goidomski de Pezoncze Palatinus Ravensis, Capitaneus Radomiensis, Christophorus Zienowicz Palatinus Breszianensis, ac Ciecieriensis, & Peropesiensis Capitaneus, Andreas Opalenski de Bnin, Regni Poloniae Supremus Marschalcus, & Majoris Poloniae Generalis, & Lezaycensis, Srzemensisque Capitaneus, Joannes Zamoyski de Zamoyscie Regni Poloniae Supremus Cancellarius, ac Exercituum Generalis, & Belzensis, Marieburgensis, Derpatensis, Kniszynensis, Grodecensis, Miedzyrcensis, Javoroviensisque Capitaneus. Significamus Praesentibus hisce hu-

hujus, & futuri temporis, universis, & singulis. Cum Sanctissimo Domino Nostro Sixto V. summo Pontifice, pastoralis muneris memore, atque ingenitae pietatis, charitatisque studio in universae Christianae Reipublicae bonum, ac quietem propensissimo, Majorumque suorum, ac Decessorum Summorum Pontificum, exemplis permoto, per Legatum suum de Latere Illustrissimum, ac Reverendissimum Dominum Hyppolitum, Sacrae Rom. Ecclesiae Presbyterum Cardinalem Aldobrandinum, & Summum Paenitentiarium, enixa, & summa diligentia id curante, deque amicitia & Pace diligentissime Principes Nostros appellante, ad controversias, & Dissensiones, quae inter Principes Nostros, Ditionesque eorum nuper exortae fuerant, componendas, plena, & omnium rerum libera cum facultate, utrinque legati essemus. Nos pro facultate a Principibus Nostris, Ordinibusque Regnorum, & Dominiorum eorum, cum generaliter, tum specialiter, & nominatim in eam rem Nobis data, commemoratas controversias omnes, & quascunque omnino tandem transegisse, composuisse, & sustulisse. Et si enim, quemadmodum in omnibus Controversiis accidere solet, non deessent, quae in utramque partem diu ancipites, dubiosque Nos tenerent, cum tamen, & incommoda dissensionum, quae cum privatim singulis, tum publice Regnis, Nationibusque universis importare solent, & Pacis Commoda diligentius Nobiscum expendissemus, accessisset vero eodem S. D. N. authoritas: Legati autem ipsius de latere Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Aldobrandini, summum, atque indefessum in Concordia hac procuranda studium cum summa prudentia & aequitate conjunctum, iis, quae supra demonstratae sunt, causis adducti, de omnibus tam Controversiis, dissensionibusque, quam causis earum, hisce, quae sequuntur, Conditionibus composuimus, transegimusque; Inprimis cum, quemadmodum supra ostensum est, ut in Pace omnia florent, ita non modo nullum malum tantum esse possit, quod a bello absit, sed ne Author quidem, ut aliorum bonorum, ita etiam Pacis Deus, non nisi in pace pie, recteque coli possit; cum ob publicam Reipublicae Christianae salutem, tum in primis Nominis Divini gloriam convenit, statutumque inter Nos est, ut non solum superioris temporis offensiones, suspicionesque, & causae offensionum, omnes inter Principes Nostros, Ditionesque, & homines earum universos, & singulos in perpetuum abolitae, & sublatae sint, verum firma etiam, sincera, & constans Pax, atque amicitia perpetuis temporibus in posterum inter eosdem colatur, ob-

serveturque. Cujus quidem rei eo justiores causas Principes Nostros habere arbitrati sumus, quod non solum Ditiones; & populi utriusque multis, iisque antiquissimis fœderum, Cognationis, & aliarum necessitudinum vinculis adstricti semper inter se fuerint, sed Principes etiam ipsi, ut quorum utrinque genus e Jagellonum stirpe promanat, propinqua sanguinis Conjunctione devincti inter se sint, ut non minor in mutuo amore pietatis, quam in Republica Christiana communis salutis ratio habenda illis sit, cum hujusmodi necessitudo ea sit, ut non solum superiores offensiones omnes abolere debeat, verum sine vituperatione nullam offensionem inter tam conjunctos Principes admittere possit. Condonnabunt igitur utrinque tam Caesarea nimirum Majestas, Serenissimaque Domus Austriaca, quam Serenissimus Poloniae Rex, quae superiore anno inter ipsos, & Ditiones eorum quomodocunque intercesserunt, primum publicae universae Christianitatis Tranquillitati, deinde non minus mutuae etiam necessitudini, ac sanguinis Conjunctioni, maxime autem Sanctissimi Domini Nostri Summi Pontificis authoritati. Cum autem omnis haec superioris temporis dissensio ex nominatione, juribus, & institutis Regni Poloniae minus consentanea, Serenissimi Principis, & Domini, Domini Maximiliani Dei Gratia Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae &c. &c. in primis Comitiis electionis Varsaviae habitis, a quibusdam interposita promanarit, cum iis, quae supra commemoratae sunt, tum aliis causis ad Reipublicae Christianae universae salutem, & tranquilitatem pertinentibus, convenit, conclusumque inter Nos est, ut quo, & praeterita dissensio, & futura causa, materiaque omnis tollatur, commemorato titulo, & jure, quod quocunque modo pervenisse ad se inde arbitratus fuit, idem Serenissimus Archidux Maximilianus, cum alias memoratas ob causas, tum ob communis Reipublicae Christianae, ut ostensum est, quietem, & incolumitatem abstineat, & nunquam in posterum utatur. Praeter eum vero Caesarea Majestas etiam, caeterique Serenissimi Archiduces, nullam unquam Controversiam vel hac, vel alia quacunque causa, colore seu praetextu, vel Serenissimo Principi, ac Domino, Domino Sigismundo tertio, praesenti Regi Poloniae, vel etiam si (quod Deus avertat) morte ejus Regnum vacare contingeret, eidem Regno, eundem Serenissimum Archiducem Maximilianum, vel quemcunque alium, quocunque tempore, per se, vel per alios relaturum aut suscitaturum, neque id facienti Con-

silium

ſilium, auxilium, Tranſitum ſeu Favorem quemcunque in eam rem ſe praebituros, praeſtiturosque ſpondeant, ac promittant. Neque vero in ullam ejusdem Sereniſſimi Archiducis injuriam, vel contumeliam accipere, aut quisquam interpretari id debebit. Quemadmodum enim, & ea familia Serenitatem ſuam ortam, & ea ipſam etiam virtute eſſe, Ordines Regni Poloniae libenter agnoſcunt, ut quocunque ampliſſimo Regno dignam eam judicent, neque generis dignitate, & virtutis laude ullo Secundam eam habeant, ita viciſſim Serenitatem quoque Suam prae prudentia Sua cogitare non dubitant, primum Regna non ſolum ex dignitate cujusque, ſed inprimis etiam divina voluntate deferri, ideoque magis hanc, quam Judicia hominum ſibi defuiſſe, deinde eo aequiore etiam animo id laturam, quod ad illum delatum Regnum videat, qui & Serenitatem Suam tam propinqua Sanguinis Conjunctione attingat, ex Famillia autem Jagellonica, optime de Regno Poloniae merita, qui Summa cum laude Regno huic praefuerit, non ſolum Avos ac Proavos, ſed nuper etiam Avunculum Dominum Sigismundum Auguſtum Regem habuerit. Quam ob cauſam, & ſi libera Nobilitatis ſuffragia, nulli ſucceſſioni adſtricta ſint, quod nihilominus ex Famillia Jagellonica electus Rex ſit, pro Sua cum eadem Famillia neceſſitudine tanto aequius feret, neque de priſtina amicitia, quae inter Sereniſſimam Domum Auſtriacam & Regnum Poloniae, magnum Ducatum Litvaniae, caeterasque Ditiones eis conjunctas, Ordinesque, & homines earum ſemper fuit, quicquam vel Serenitas ejus vel Sereniſſima Domus ipſius ob id remittet: maxime vero, ſi (quod diutiſſime Deus ſuſtinere velit) Regnum iterum vacare contingat, in libertate electionis commemoratos Ordines nullo modo impediet, neque vel armis, ac vi, vel largitionibus, ſeu factionibus quicquam contra eandem libertatem faciet, aut ſuſcipiet dolo, ac fraude omni remotis. De Lubovlia deinde hunc in modum convenit. Inprimis, ut Caſtrum id cum oppidis, Villisque ad id pertinentibus, quemadmodum injuſſu Caeſareae Majeſtatis, ac praeter voluntatem ejus occupatum eſt, ita in priſtinum uſum, & poſſeſſionem Regni Poloniae, quemadmodum a tot Saeculis quiete, ac ſine ulla controverſia id in ea poſſeſſione, atque uſu fuit, iterum tradatur, conſigneturque, Supellex item reliquumque inſtrumentum omne, maxime autem tormenta tam minora quam majora, omnia, quae in caſtro eo, cum occuparetur, exſtiterunt, bona fide reſtituantur, unaque cum ipſo caſtro tradantur. Ad Poſſeſſionem autem eam accipiendam utriusque Partis conſenſu dies vigeſimus primus Menſis Julii praefinitus, & acceptus eſt, ad quem Regia Majeſtas Poloniae, qui eam poſtulent, & accipiant, homines ſuos mittet, ii vero qui in arce erunt, ſine ulla mora, quemadmodum ſupra convenit, cum omni Supellectile, & inſtrumento, quod ante in eo fuit, vacuam poſſeſſionem ejus tradere debebunt. Cumque ut non ſolum diſſenſiones, & controverſiae omnes ſopiantur, verum priſtina etiam amicitia, atque benevolentia utrinque reſtituatur, actum inter Nos fuerit, ut Pacta, & fœdera, quae ab aliquot Saeculis utriusque Regnis, & Ditionibus interceſſerunt, ea forma, quae ex utriusque noſtrum Conſilio, & Sententia Scripto comprehenſa jam eſt, ab utriusque Principibus, & eorundem Ordinibus, iterum renoventur, confirmenturque, placuit, convenitque. Quibus quidem rebus, cum priſtina amicitia atque benevolentia, integre conciliata, reſtituta, ac reindegrata utrinque eſſe debeat, promittimus pro eo, ſpondemusque. Nos quidem ſupraſcripti Caeſareae Majeſtatis, & univerſae Sereniſſ. Domus Auſtriacae Commiſſarii cum commemoratae Caeſareae Majeſtatis, caeterorumque Sereniſſimor. Auſtriacorum Principum omnium, tum maxime Sereniſſimi Maximiliani Archiducis nomine, nullam Superiorum diſſenſionum, offenſionem Majeſtatem, Serenitatesque ſuas retenturas, eandem nullo unquam tempore renovaturas, conſtantem autem poſthac, & ſinceram cum Regia Majeſtate Poloniae, Ordinibusque amicitiam, & benevolentiam conſervaturas, neque vi aut armis, vel per ſe, vel per ſubmiſſas perſonas, quocunque tempore, vel quacunque ex cauſa, colore, ſeu praetextu Regnum Poloniae, magnum Ducatum Litvaniae, Ruſſiam, Pruſſiam, Maſoviam, Samogitiam, Liuoniam, caeterasque Ditiones, vel arces, Oppida, Villas, hominesve Sereniſſimi Poloniae Regis, aut propinquorum, Sociorum, vel adhaerentium ipſius infeſtaturas, vim aut injuriam ullam illaturas, factiones aut Partes ullas contra easdem, & in iisdem foturas, alturasve, ab iisdem proſcriptos aut exules recepturas, habiturasve, neque aliis id facientibus ullum Conſilium, Auxilium, Tranſitum, aut quemcunque denique favorem accommodaturas, verum omnia, quae transactione hac, Pactis perpetuis, ac foedere comprehenduntur, diligentiſſime obſervaturas. Similiter vero Nos Sereniſſimi Poloniae Regis ſupraſcripti Commiſſarii, ejusdem Majeſtatis Suae, Ordinumque ejus nomine, viciſſim recipimus, promittimus, ſpondemusque nullo unquam tempore eorum,

rum, quae ante quocunque modo intercesserunt, offensionem Serenissimum Poloniae Regem aut Ordines retenturos, eamdem per quamcunque occasionem renovaturos, sed constantem posthac & sinceram cum Caesarea Majestate, universaque Serenissima Domo Austriaca, in eaque Serenissimo etiam Archiduce Maximiliano, Regnisque, Ditionibus, & Ordinibus eorundem, amicitiam & benevolentiam conservaturos, neque ipsam Majestatem Suam, Ordinesque, seu homines ejus, quoscunque vi, aut armis, vel per se, vel per submissas personas, quocunque tempore, vel quacunque ex causa, Colore seu praetextu Regna Hungariae, vel Bohemiae, Austriam, Moraviam, Silesiam, vel quaecunque alia commemoratorum Serenissimorum Principum Dominia, Ditiones, Arces, Oppida, Villas, vel homines aut propinguorum, Sociorum, vel adhaerentium ipsorum infestaturos, vim, aut injuriam ullam iisdem allaturos, factiones, seu Partes ullas contra eosdem, & in iisdem foturos, alturosve, ab iisdem proscriptos, aut exules recepturos, habiturosve, neque aliis id facientibus ullum Consilium, Auxilium, Transitum, aut quemcunque denique favorem accommodaturos, sed omnia, quae Transactione hac, Pactis perpetuis ac foedere comprehenduntur, diligentissime observaturos. Quo firmiora vero omnia hæc sint, convenit, transactumque inter Nos est, ut Serenissimus Poloniae Rex Legatum suum ad Caesaream Majestatem, Caeterosque Serenissimos Archiduces intra diem vigesimum Mensis Aprilis in Aulam Caesareae Majestatis Prior mittat. Qui quidem inprimis, ut Caesarea Majestas offensiones omnes, quae Superiore anno inter Caesaream Majestatem Suam, ejusque inclytam Domum Austriacam, & inclytum Poloniae Regnum, quomodocunque utrinque intercesserunt, publicae Tranquilitati, & Paci, tum Sanctissimi Domini Nostri authoritati condonnet, rogabit, Serenissimique Regis Sui nomine paratam Majestatem Suam Regiam esse offeret, quae in Transactione continentur, convenerintque, singula confirmare, & praestare. Caesarea Majestas in ejusdem S. D. N. Gratiam, & publicae Christianitatis Salutis causa, Paci hujusmodi, & Petitioni annuet, deinde vero ipsa quoque intra diem decimum quintum Mensis Maji similiter Legatum suum ad Serenissimum Poloniae Regem mittet, per quem gratam sibi Legationem ejus fuisse, & quae ex Oratore ejus intellexerit, reliqua ostendet, & si quae Sacrae Caesareae Majestati in benevolentiae, atque amicitiae Testimonium videbuntur alia. Eodem deinde Legato praesente pri-

primum Serenissimus Rex Poloniae, Sequente forma juramentum praestabit.

Ego Sigismundus III. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiae, &c. juro, spondeo, promittoque coram Deo, per haec Sancta ejus Evangelia, quod omnia ea, quae S. D. N. Legatique Ejus de latere Reverendissimi Cardinalis Aldobrandini interventu inter commissarios Meos ex una, & Caesareae Majestatis Universaeque Serenissimae Domus Austriacae parte ex altera, Bithomiae, & Bendzini Congregatos convenerunt, in omnibus eorum punctis, & clausulis firmiter, inviolabiliterque observabo, iisdemque satisfaciam, pro eoque cum Caesarea Majestate, Serenissimis fratribus, & Patruis ejus universaque Serenissima Domo Austriaca, Regnis, Ditionibus, & hominibus eorundem juxta eandem Transactionem, Pacta perpetua, & fœdus, Pacem, amicitiamque perpetuo, constanterque colam. Sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Dei Evangelia.

Secundum Regiam deinde Majestatem ejus, Ordines Regni Poloniae, Magni Ducatus Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae &c. seu omnium Ordinum nomine Proceres ad hoc in Comitiis nominati, & sufficiente in eam rem Mandato instructi, sequentibus itidem Verbis jurabunt.

Nos NN. juramus, spondemusque coram Deo, omnium Regni Nostri Ordinum nomine, quod omnia ea, quae inter Caesareae Majestatis, Caeterorumque Serenissimorum Principum Austriacorum &c. Commissarios ex una, & Serenissimi Principis, & Domini, Domini Sigismundi III. Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae, Russiae, Prussiae &c. parte ex altera, Ordinumque, Regnorum, & Dominiorum utriusque Partis Bithomiae, & Bendzini Congregatos convenerunt, firmiter, inviolabiliterque observabimus, Ordinesque Universi in perpetuum observabunt, Serenissimis Principibus Nostris, ut observent, authores semper erimus, neque ut aliter fiat, assensum, Consilium, aut Auxilium Nostrum unquam praestabimus, sed eandem Transactionem & Pacta omnibus viribus tuebimur, Ordinesque Universi perpetuis Temporibus tuebuntur. Sic Nos Deus adjuvet, & haec Sancta ejus Evangelia.

Quae cum ad eum modum perfecta fuerint, mittet deinde intra Diem Decimum quintum Mensis Junii, ad Caesaream Majestatem, Caeterosque Serenissimos Archiduces in Aula Majestatis Suae

aut

aut per se, aut per Legatos Suos existentes, alterum Legatum Suum Serenissimus Poloniae Rex, qui inprimis Transactionem hanc, tum juramenta, tam ejusdem Serenissimi Regis, quam Ordinum supra Commemoratorum ab ipso Serenissimo Rege Poloniae, Ordinibusque Regni Poloniae, Magni Ducatus Litvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae &c. subscripta, Sigillisque eorundem munita, Caesareae Majestati tradet, atque Transactionem hanc, ipsa quoque & Caeteri Serenissimi Archiduces, Patrui, & Fratres Majestatis Suae similiter confirment, confirmatamque Subscriptionibus, & Sigillis cum Suis, tum Ordinum, seu Omnium Ordinum nomine, praecipuorum Procerum edant, juramentum autem in eandem cum Caesarea Majestas, tum Ordines Regnorum Ditionumque ejus similiter praestent, juramentaque eadem, Caesareum, a Caesarea Majestate, & Ordinibus, Ordinum autem ab ipsis Proceribus subscripta, & Signata Sibi tradantur, postulabit. Qua Legatione exposita, Caesarea Majestas eodem Legato praesente in haec itidem Verba juramentum praestabit:

Rudolphus II. Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus &c. &c. juro, spondeo, ac promitto coram Deo, per haec Sancta ejus Evangelia, quod omnia ea, quae Sanctissimi Domini Nostri &c. & Legati ejus de Latere, Reverendissimi Cardinalis Aldobrandini interventu inter Commissarios Meos, caeterorumque Serenissimorum Principum, Patruorum, ac Fratrum meorum ex una, & Serenissimi Principis Domini Sigismundi III. Regis Poloniae, Magni Ducis Litvaniae &c. Parte ex altera Bithomiae, & Bendzini Congregatos convenerunt, in omnibus eorum Punctis, & clausulis firmiter, inviolabiliterque observabo, iisque Satisfaciam, Pacem, & amicitiam cum eodem Serenissimo Principe, Regnoque Poloniae, Magno Ducatu Litvaniae, caeterisque conjunctis Provinciis, & Ditionibus juxta eandem Transactionem, Pacta perpetua, ac foedus perpetuo, constanterque colam. Sic me Deus adjuvet, & Sancta Ejus Evangelia.

Eodem deinde modo Regnorum etiam, Ditionumque Caesareae Majestatis Hungariae, Bohemiae, Austriae, Moraviae, Silesiae &c., Ordines, seu omnium Ordinum nomine Proceres ad id nominati, & sufficiente in eam rem Mandato instructi, iisdem Verbis & forma, quae supra Polonicis Ordinibus praescripta est, eodem itidem Legato praesente juramentum praestabunt, juramentaque, & Transactio haec ita, quemadmodum supra ostensum est, a Caesarea Majestate Serenissimis Archiducibus, Patruis, & Fratribus Caesareae Majestatis, Ordinibusque Regnorum, & Ditionum Caesareae Majestatis suprascripta, & confirmata, commemorato Regiæ Majestatis Poloniae Oratori tradentur. Idem vero Legatus Pactorum quoque secundum eam formulam, quae ex communi Consilio, ac Sententia Scripto a Nobis comprehensa est, confirmationem simul a Caesarea Majestate petet, & cum ejusdem Caesareae Majestatis, eorundem Pactorum confirmationem ad Serenissimum Regem Poloniae deferet, tum Serenissimi Poloniae Regis apud Caesaream Majestatem relinquet. Vicissim vero debebit Serenissimus Princeps, & Dominus, Dominus Maximilianus Archidux Austriae &c.&c. Hrodlo, quo in loco nunc est, ad Diem decimum sextum Mensis Julii movere, ac quam honorificentissime Byczynum, vel si ita Serenitati Suae videbitur, Bithomiam, cura Serenissimae Regiae Majestatis Poloniae ad diem vigesimum octavum Mensis Julii deduci, quemadmodum quidem Nos Ejusdem Majestatis Suae Suprascripti Commissarii ad ita futurum cum Majestatis Suae, Ordinumque, tum Nostro nomine promittimus. Priusquam etiam Serenissimus Archidux Maximilianus e Regno proficiscatur, Serenissimus Poloniae Rex ipse eum inviset, mutuamque benevolentiam ita ei declarabit, ut eam superioris temporis injuria interruptam magis fuisse, quam vel tum etiam illi defuisse, vel in posterum defuturam ostendat, quamque maxime poterit, dignitatis ejus rationem libenter habebit. Quam primum vero ultra fines Regni Poloniae in Caesareae Majestatis Ditionis fines Serenitas Sua pervenerit, inprimis quod nunc quidem Caesarea Majestas, utriusque autem nomine Nos Caesareae Majestatis Commissarii spondemus, promittimusque, ipse quoque Transactionem hanc in omnibus Suis Capitibus, & Articulis itidem confirmabit, confirmatamque & sua, atque aliquot Procerum Germanicorum, quos tum secum habuerit, Subscriptionibus & Sigillis munitam, iis, qui nomine Serenissimi Poloniae Regis, eum comitabuntur, Instrumentumque illius ab eo postulabunt, tradet. Deinde vero Juramentum corporale sequentibus Verbis praestabit, idemque similiter a Se, & aliquot Proceribus Nationis Germanicæ, qui tum circa eum fuerint, Signatum Subscriptumque dabit.

Maximilianus Dei Gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae &c. &c. juro, spondeoque per haec sancta Dei Evangelia, quod omnia ea, quae Sanctissimi Domini Nostri &c. & Legati ejus de Latere

tere Reverendissimi Cardinalis Aldobrandini interventu, inter Sacrae Caesareae Majestatis, Domini, & Fratris mei observandissimi, caeterorumque Serenissimorum Principum Austriacorum, Commissarios ex una, & Serenissimi Principis, Domini Sigismundi III. Poloniae Regis, Magni Ducis Litvaniae &c. parte ex altera Bithomiæ & Bendzini congregatos convenerunt, in omnibus eorum Punctis & Clausulis, firmiter, inviolabiliterque observabo, Pacem, & Amicitiam cum eodem Serenissimo Rege Poloniae, Magno Duce Litvaniae &c. Regnoque, Magno Ducatu Litvaniae, & caeteris Ditionibus ejus perpetuo, constanterque colam, neque quicquam, quod contra ejusdem Serenissimi Regis, Ditionum, Hominumve ejus Salutem, & quietem sit, suscipiam admittamve, neque vim aliquam inferam, aut aliquo modo publice vel occulte molestabo, sed Fraterno honore, amore, & benevolentia omnibus in locis per omnem occasionem eundem Serenissimum Regem prosequar, Sic me Deus adjuvet, & haec Sancta ejus Evangelia.

Quo Juramento praestito, tandem iis etiam quos ex Natione Polonica juramento, fide, aut quocunque modo obligatos antea Serenitas Sua habuit, fidem eam, jusjurandum, omnemque omnino obligationem remittet, planeque liberos eos pronuntiabit. Reservamus postremo ab hac Transactione, Nos quidem Caesareae Majestatis Commissarii pro Sacra Caesarea Majestate, Domino Nostro clementissimo, universaque Serenissima Domo Austriaca, Sanctissimum Dominum nostrum Papam, Sanctamque Sedem Apostolicam, nec non Sacrum Romanum Imperium, cui pro ea fide, quam illi jurejurando obstrinxit Caesarea Majestas, si quis illud injuria afficere vellet, deesse non posset. Praeterea vero Serenissimum, ac Potentissimum Principem, & Dominum, Dominum Philippum Regem Hispaniarum Catholicum &c. &c. Magnum Moschorum Principem, ita tamen ne propter hanc exceptionem, vel contra Serenissimum Regem, Regnumque Poloniae, Magnum Ducatum Litvaniae &c. vel contra Serenissimum Sveciae Regem, Caesarea Majestas aut caeteri Serenissimi Archiduces ullum Auxilium Moschis dare, & hanc Transactionem turbare debeant, aut possint. Ad extremum etiam Turcarum Principem per praesentes, & futuras, quocunque, si quae intercesserint, inducias, ita ut isthaec Transactio Caesaream Majestatem contra illum ligare non possit, nec debeat. Vicissim vero Nos Serenissimi Poloniae Regis Commissarii, ejusdem Serenissimi Regis, Regni, Magni Ducatus Litvaniae, caeterarumque Ditionum, ejus

ejus nomine praefatum Sanctissimum Dominum nostrum Papam, Sanctamque Sedem Apostolicam, tum Serenissimum Parentem Serenissimi Regis nostri Regem Sveciae, Illustrissimum Sigismundum Principem Transsylvaniae, nec non Pacem, quae eidem Serenissimo Regi nostro cum Turcarum Principe intercedit, aut in posterum juxta pristinam Domini Sigismundi Augusti Avunculi ejus Formulam intercedet, diserte excipimus, reservamusque. Quae omnia & singula in omnibus Suis Punctis, Articulis, & Clausulis Sancte inviolabiliterque observatum expletumque iri, Nos Suprascripti utriusque Partis Commissarii cum Principum nostrorum, Ordinumque ipsorum, tum nostro Nomine jam ex hoc ipso tempore, sub fide, honore, & juramentis Nostris Sancte promittimus spondemusque. Juris autem firmitudinis, & fidei causa, inprimis, ut Sanctissimi etiam Domini nostri de Latere Legatus, Illustrissimus, & Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Cardinalis Aldobrandinus, ut cujus prudentia, studio, atque opera maximo hæc res confecta fuit, eandem Transactionem hanc subscriberet, Sigilloque suo muniret, communiter ab Illustrissima Dominatione Sua impetravimus, tum vero duo ejusdem exempla conficienda curavimus, Singulaque exempla ab omnibus Nobis communiter subscripta, sigillisque omnium munita, singulae Partes accepimus. Datum Bithomii & Bendzini Nona die Mensis Martii Anno Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo Nono.

Hyppolitus Tituli S. Pancratii Presbyter Cardinalis, Aldobrandinus Sacrae Romanae Ecclesiae major Poenitentiarius, & Sanctissimi Domini nostri, Sanctaeque Sedis, Apostolicae Legatus de Latere.

Guilelmus Ursinus de Rosenberg.

Petrus Episcopus Jauriensis.

Christophorus junior Baro a Lobkowitz.

Richardus Stein, Baro in Schwartzenau.

Stanislaus Episcopus Olomucensis.

Seifridus a Promitz Baro in Pless.

Nicolaus Jsthvanffi.

Kobenzel de Prossek Baro.

Hiero-

Hieronymus Comes a Rozdrazow, Epiſcopus Vladiſlavienſis & Pomeraniae.

Januſſius Dux in Oſtrog, Palatinus Volhiniae.

Stanislaus Goſtomski de Lezenice Palatinus Ravenſis, Capitaneus Radomienſis.

Chriſtophorus Zienowicz Palatinus Breſtenſis Magni Ducatus Litvaniae, manu propria.

Andreas Opalenski Supremus Regni Poloniae Mareſchalcus, manu propria.

Joannes Zamoyski Regni Poloniae Cancellarius, & Generalis Capitaneus.

Num. XII.

Litteræ Andreæ Olszowski Procancellarii Regni ad Supremum Regni Cancellarium Varſav. 4. Auguſti (1673.) Ex Andreæ Zaluski Epiſcopi Varmienſis, Supremi Regni Poloniæ Cancellarii Epiſtolar. Hiſtor. familiarium Tom. I. ad an. 1673. pag. 469. ſeq.

Craſtina die poſt audientiam Ablegati Moſcovitici, valedicet Regi Mareſchalcus, pro die præfixa ad caſtra perrecturus, Princeps Valachie ſeu Hoſpodar, per Legatum & literas ſuas ſuggerit conſilium, ut aliquem ex præcipuis expediamus ad Portam, qui non prætereat Haſeim Baſſam, tanquam plenipotentarium Turcicum ad tractandum nobiscum; forte volunt noſtram in effectum deducere propoſitionem in qua volumus; ut Jmperator Turcarum daret poteſtatem Baſſæ; Rex vero ex parte ſua delegaret aliquem cum authoritate virum, Senatorem; ſuppetiarum nulla ſpes ab Jmperatore, qui ſe gravi bello cum Gallo implicuit, ad quod proſequendum invitavit pro conſilio Generali bellico Bavaricum, Saxonicum & Brandeburgicum Electores, aliosque Principes Jmperij; aut eorum delegatos: ſcribitur pro certo, Bauarus Cæſareis paſſum non permiſſurus, ad idem ſe reſolvit Epiſcopus Dux Franconiæ, Moſcum ſuſpectum nobis amicum facit, græca fides, Exercitus ejus retroceſſit ſub Batorinum. De expugnatione Ozoviæ vani rumores; tantùm enim èo Sirco proceſſerat abacturus equorum Turcicorum agmina, ſed illum Turcæ præmoniti, repulerunt, cæde illata Coſaccis, quorum 60. captorum, 13. ad Jmperatorem, ad Huſſarim Baſſam miſerunt duos, qui in Tartaris metum Moſcorum & Coſaccorum diſcuſſerunt: non deſunt & alia inſinceritatis, erga nos, Moſcoviticæ, documenta. Electorem Brandeburgicum non invenit Morſtin Berolini; ſpem facit mittendorum inde 1500. militum, ſed paratam vult illis dari pro ſuſtentatione pecuniam ſeu Lenungi. Apafi Princeps Tranſylvaniæ in datis ad me, aſſecurat, Portam nobiscum pacem conſervaturam, ſalvis per omnia condicionibus tractatûs, præteriti anni, aliàs non; interim in prudencia ſupremi Regni Mareſchalci ſummum conſiſtit momentum, vel belli, vel pacis. *Ablegatus Cæſareus exhibuit Regi memoriale Principalis ſui volentis redimere Scepuſienſes civitates*, profectò non facile reſponſum dare poterò; licet enim Sigiſmundus Jmperator Vladislao Jagelloni anni 1412. oppignoravit Scepuſium, triginta & aliquot florenorum millibus, latorum groſſorum Pragenſium, cum pacto redhibitionis; ſed poſtea ſucceſſerunt varia alia pacta, Electiones Regiorum Principum Poloniæ, in Reges Hungariæ, matrimonia Annæ Jſabellæ, pacta de eliberatione Maximiliani, in quibus adjudicarunt nobis a ſeculis quietam Scepuſii poſſeſſionem. Subſcripta ſunt poſtea hæc pacta a Clemente VIII, a Lubkovicz antenato moderni Miniſtri Status; favet nobis authoritas noſtrorum hiſtoricorum, Wapowſcij, Bielſcij: *alias enim etiam ad Ruſſiæ Ducatum, cum Podolia, poſſet habere prætenſionem Jmperator, numeratis 100000. flor: ut eſt in pactis inter Ludovicum Hungariæ Regem;* par aut major prætenſio ad Pruſſiam, & noſtra viciſſim ad Sileſiam. Quidquid ergo rationum & probationum occurrere poterit, inveſtigare velis, meque fulcire.

Num. XIII.

Nos Johannes dei gracia, Dux Oſſwicenſis, & Scolaſticus Cracouienſis, Recognoſcimus & fatemur tenore preſencium vniuerſis, Nos eſſe principem & vaſallum, Magnifici principis domini

mini nostri domini Johannis, Boemie & Polonie Regis Jllustris, ac Comitis Lucemburgensis, & ab eo *terram nostram Osswicensem*, cum suis Ciuitatibus & Castris, videlicet Osswicensi Ciuitate cum Castro, *Zatbor*, Ciuitate, Kant, Zipscha, wadowicz, & Spikowicz Opidis, cum eciam villis hominibus, vasallis, ac Militibus, ad ipsas, & ipsa spectantibus, & aliis suis pertinenciis vniuersis, in quibuscunque consistant, quas nunc habemus, & imposterum sumus quocunque titulo habituri, nostro, heredum, & successorum nostrorum, Ducum Osswicensium, nomine, recepisse in feodum, & ab ipso tenere, ac possidere, Jure & titulo feodali, volentes, quod heredes, & successores nostri, Duces Osswicenses, predicti, iuxta litterarum continenciam, quas a predicto domino Rege Boemie, super eo habemus, quandocunque predictam terram nostram, vacare contigerit, eam ab ipso domino nostro Rege, & a suis heredibus, seu successoribus, Regibus boemie, in feodo deinceps semper recipere debeant & tenere, & facto sibi, per eos, seruande perpetuo fidelitatis homagio, sicut & nos nunc, spontanea & libera voluntate fecimus, ei, vel eis, tamquam eius, vel eorum princeps & vasallus, sincera fide intendere & parere. Jn Cuius rei testimonium presentes litteras fieri & sigillo nostro fecimus roborari, Datum in Boutung, anno domini Millesimo, Trecentesimo, vicesimo Septimo, vj°. Kalend. Marcij.

(L.S.)

Num. XIV.

Kazimirus dei gracia Polonie Rex. Vniuersis presentes litteras inspecturis Salutem & noticiam subscriptorum. Salus & uita & perhennis tranquillitas benediccio pacis irradiata claris fulgoribus per orbis clarius refulget climata, dum Regnorum subditis & terrarum incolis prouidetur de commodis, & inter Principes desiderate gracie vnio ac indissolubilis karitatis federa graciosius amplectuntur. Cum itaque sicuti status precedencium temporum demonstrat, inter magnificos Principes Dominos Johannem Boemie Regem, & Karolum ipsius primogenitum Marchionem morauie Jllustres fratres nostros karissimos, ac progenitores & predecessores eorum parte ex vna, nosque ac progenitores nostros parte ex altera non nulle affliciones Sediciones & multiplices calamitates, cedesve personarum ac rerum hinc inde per tempora agitate noscantur, ac dampnabilius perpetrata, propter quod Regnorum & Terrarum nostrarum gubernacula utrobique grauia pertulere dispendia & iacturas innumeras cottidie habuerunt, Nos huiusmodi tot & tantis cupientes salutifere obuiare periculis quinymo eis finem inponere salutarem Affectantesque attentis affectibus, cum iam dictis dominis Rege & Marchione firmam ac perpetuam amicicie graciam, ac fraterne dileccionis vinculum irrefragabiliter colligare, in hoc votis eorum, ac nostris satisfacientes libenti animo recongnoscimus, dicimus, & publice protestamur, Nos in magnis Principibus Dominis Ducibus Bolezlao Lignicensi & bregensi, Heinrico Zaganensi & Crosnensi Conrado Olisnicensi Johanne Stinauiensi Slezie Ducibus, necnon Bolkone Oppoliensi, Bolkone de falkinberch Alberto de Strzielecz. Wladyslao Thesinensi ducibus Wladislao Cozlensi & Bitoniensi Principe Mazouie Domino in Plocz, Leskone Rathiboriensi *& Johanne Oswiecimensi* ducibus & vasallis eorum *cum ipsorum Ducatibus & dominijs* Terris districtibus Jurisdiccionibus, pertinentijs, metis appendijs & limitibus antiquis quibuscunque, necnon in Ciuitatibus Wratislauie & Glogouie cum districtibus, limitibus Affictibus & pertinencijs earum vniuersis, *nullum ius proprietatem, uel dominium possessionem, ac Tytulum habere & habuisse competere, aut compecisse aliqualiter in eisdem*, promittentes ipsos Dominos Regem & Marchionem aut heredes choeredes & successores eorum super prenominatis Ducibus & ducatibus eorum, seu eciam Ciuitatibus Wratislauie & Glogouie cum pertinentijs suis per nos uel heredes choeredes & Successores nostros, aut alios quoscunque nullo vnquam tempore impedire, molestare uel impetere, nec duces aut ducatus ipsos & ipsorum pertinencias nobis aut heredibus nostris vendicabimus aut eciam assumemus in ipsorum Regis & Marchionis uel heredum eorum preiudicium vel grauamen, quinymo

ymo placet Nobis & optime fauemus eis in eisdem, *renunciantes insuper & cedentes, pro nobis heredibus coheredibus & successoribus nostris*, omni iuri, accioni, questioni, proprietati & tytulo *in perpetuum*, si que nobis aut heredibus & Successoribus nostris competebant competerent *seu competere possent quomodolibet in futurum*, promittentes eciam *sub fide prestiti iuramenti tactis sacrosanctis ewangelijs* & nichilominus excommunicacionis late sentencie contra huiusmodi nostram renunciacionem, cessionem & promissionem aliqua accione impeticione, Suggestione, studio, ingenio iure facto atque verbo nequaquam venire. Non obstantibus aliquibus pactis, paccionibus, Statutis, reformacionibus ordinacionibus, consuetudinibus, *prescripcionibus* conuencionibus immunitatibus indulgencijs Priuilegijs, uel litteris Apostolicis Jmperialibus aut alijs quibuscunque, scriptis impetratis seu in posterum impetrandis, necnon iuribus quibuscunque tam Juris Canonici Ciuilis aut eciam municipalis, sub quacunque forma verborum uel prolacione conceptis, uel in posterum concipiendis, eciam si talia forent, quibus de verbo ad verbum specialem & expressam opporteret fieri quomodolibet mencionem, que omnia & singula & quodlibet singulorum cassa irrita vacua & inania esse & intelligi volumus nulliusque fore efficacie penitus aut momenti ipsis eciam ex certa nostra sciencia per omnia derogamus. Jn quorum omnium testimonium atque robur perpetuum presentes scribi fecimus & nostrorum Sigillorum munimine Roborari. Datum Cracouie in Octaua Purificacionis Sancte Marie virginis, Anno Domini Millesimo. C°. C°. C°. Tricesimo Nono.

(L.S.)

Num. XV.

Nos Ludouicus dei gracia Rex Hungarie Dalmacie Polonie etcetera, Notum facimus Vniuersis quibus interest vel interesse poterit infuturum per presentes Quod ob singularem interne caritatis ardorem, quo Serenissimum ac Jnuictissimum principem & dominum, dominum Karolum quartum Romanorum Jmperatorem semper Augustum & Bohemie Regem Jllustrem, Serenissimam principem dominam Elyzabeth, Romanorum Jmperatricem & Bohemiæ Reginam, sororem nostram, & Jllustrem ac Magnificum principem dominum Wencezlaum Bohemie regem, prefati domini Jmperatoris filium ac Jllustres Principes, dominos Johannem & Jodoucum, eius primogenitum, Marchyones & dominos terre Morauie fratres nostros karissimos, ceterosque filios & Heredes ipsorum, pio fraternoque sinceritatis zelo, complectimur, ipsis animo deliberato, non per errorem, aut improuide, sed maturo principum ecclesiasticorum, & secularium, Comitum Baronum & nobilium nostrorum fidelium ad hoc accedente consilio, & ex certa nostra sciencia, pro nobis, ac serenissima principe domina Elyzabeth consorte nostra carissima Hungarie Polonie &c. Regina, necnon Heredibus Heredum Heredibus & successoribus nostris Hungarie Polonie Dalmacie &c. Regibus, in perpetuum promisimus & promittimus bona fide, dolo & fraude quibuslibet procul-motis, & sub eo *Juramento corporali*, quod nos & predicta domina consors nostra carissima regina Hungarie super lignum viuifice crucis & super sancta dei ewangelia in manus Reuerendi in christo patris, domini Johannis Patriarche Alexandrini Apostolice sedis legati prestitimus, quod tam nos, quam eadem domina Regina Heredes & successores nostri, *nunquam nos vel Heredes nostri & Heredum Heredes & successores aspirare debemus nec volumus ad uendicandum aut vsurpandum nobis vel ipsis*, aut alicui ex nobis regnum Bohemie principatus, seu principes, aut Prelatos, ecclesiasticos siue seculares & signanter specifice & expresse, eiusdem regni & Corone Bohemie principes, *principatus & ducatus* videlicet Wratizlauie, Swindnicie Jaurensem Monstewbergensem, Legnicensem, Bregensem Olnicensem, Glogouie & Cressin, Sagom, Opoliensem Falkenbergensem, Strelicensem, Teschinensem, Rateborensem, & Opauie, Coslensem, Bythinnensem, *wsuiciensem*, Stinauie & Gorensem, necnon Marchyonatus Morauie, Lusacie, Budissinensem & Gorlicensem seu alios eorum quoscumque principatus, ducatus terras, Homines, dominia, Ciuitates Castra seu quaslibet pertinencias eorum communiter & diuisim in genere specie, siue in Bohe-

hemia Morauia, Slesia Polonia Saxonia Bauaria, Franconia seu alias vbicumque locorum consistant, vel ad vendicandum seu vsurpandum nobis quascumque, vel alicuius eorum metas, granicias gades, seu terminos, aut Jura libertates pertinencias consuetudines, uel obseruancias, que seu quas ad presens tenent, habent & possident seu auctore domino de Jure adipisci, habere, tenere, optinere vel possidere poterunt aut debebunt, quomodolibet in futurum, seu eciam quecumque alia ad ipsos quouismodo spectancia, vbicumque sita, que non sunt nominatim inclusa presentibus, etiam, si talia forent, de quibus Hic fieri deberet vel posset mencio specialis, *Et in eum casum, si Huiusmodi eorum principes, principatus, Ducatus, duces* Comites, Barones, nobiles, milites & clientes, Ciues Ciuitates Opida Castra, aut vniuersitates terre seu Homines, *aut eorum aliquis vel aliqui, se voluntarie seu sponte nobis offerrent, offerre vellent, vel quouismodo deliberarent, subdere, subicere uel offerre, quod exnunc prout extunc, & extunc prout exnunc, promittimus & spondemus pro nobis ac omnibus & singulis supradictis sub Juramento & fide prefatis, tales vel talem nullatenus assumpmere, recipere seu aliquatenus acceptare, quibuscumque adinuencionibus inegenio vel colore quesitis*, Jncuius rei testimonium presentes nostre maiestatis, & eiusdem domine regine consortis nostre karissime Sigillis auctoritatis simplicibus appensione Jussimus conmuniri. Datum Jn Wysegrad in festo sancte Trinitatis, Anno domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimo Secundo.

(L.S.) (L.S.)

Num. XVI.

Num. XVI.

Ex Diplomatario Manuscripto Poloniæ apud Sommersberg Tom. II. Scr. Rer. Sil. in Mantissa Diplomat. pag. 86.

Georgius Rex Bohemiæ Conventu personali cum Casimiro Glogoviæ instituto inter se fœdus ineunt, imprimis contra Turcarum Jmperatorem promittit Rex Poloniæ, si Rex Bohemiæ a Turca bello infestetur, se in persona sua ei opem laturum; id ipsum Rex Bohemiæ facturus est, contra alios præterea Hostes omnes, tam Seculares quam Spirituales, Summo Pontifice excepto, mutuum sibi spondent auxilium, damna mutua arcentur. De injuriis Jure transigatur, moneta legitima cudatur, Causa Henrici Ducis Glogoviensis & Crosnensis a mutuis Commissariis ratione Oppidorum & Villarum, quæ Rex Poloniæ possidet, decidatur in oppido Babimost. De Castris *Osswiecimensi*, Wosekensi, *Sieviorensi*, *Zatorensi*, Beerwaldensi, Zywicensi convenit, ut Rex Poloniæ *possideat ad Vitam;* Dotem Helisabethæ Reginæ debitam, Rex Poloniæ vivente Rege Bohemiæ non repetat. Glogoviæ feria V. Ascens. Domini 1462.

Num. XVII.

Ex Diplomatario Manuscripto Poloniæ apud Sommersberg Tom. II. Scr. Rer. Sil. in Mantissa Diplomat. pag. 86.

Christophorus de Schidlowitz, Palatinus Cracoviensis, Regni Cancellarius, Sigismundi Regis apud Ferdinandum Bohemiæ Regem Orator testatur, se eidem Regi exhibuisse Foedus inter Casimirum Poloniæ & Georgium Bohemiæ Reges initum, cujus primum Articulum de Societate Belli contra Turcam Ferdinandus Rex ad ordines Regni sui relaturum se promittit; pariter de Societate contra hostes, ut Carolus Jmperator exciperetur, voluit; ceteri articuli de injuriis non inferendis, de puniendis Transgressoribus & maledicis, de Securitate Viarum, de Moneta, de Commissa-

f riis

riis sive Judicibus qui lites & controversias dirimant, in finibus utriusque Silesiæ & utriusque Poloniæ, & Conventus hac de causa faciant, dandis, secundum Præscriptum Ejusdem Fœderis conclusum est. Quod si Rex alter ab altero quidpiam prætenderet, Judicem vel Judices de consensu legent. Adjunctum est præterea ut iidem Reges & Johannes Comes Scepusiensis Woywoda Transylvanus, Olomucium Oratores suos ad tractandum de Pace Nuntios mittant. Pragæ feria IV. post Dominicam Oculi A. D. 1527.

2